Liber prohibitus

FVNDAMENTVM FIRMVM,

CVI TVTO FIDELIS QVIVIS INNITI POtest,

hoc præſertim difficili ſeculo, quo diſsidijs doctorumq; aduerſarijs ſcriptis omnia conturbata ſunt, poſitum ad inſtitutionem & conſolationem ſimplicium, per Heinrychum Bullingerum Tigurinæ Eccleſiæ miniſtrum.

Biblior Campidr.

IN HOC Libro reſpondetur etiam breuiter & ſimpliciter Libro D. Ioannis Brentij, nuper contra D. Petrum Martyrem & Heinrychum Bullingerum, De Maieſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti ad dexteram Dei patris, edito.

IESVS.


HIC eſt filius meus dilectus, in quo placata eſt anima mea: ipſum audite. Matth. 17.

TIGVRI *Apud Chriſtophorum Froſchouerum*, Anno M. D. LXIII.

Bernardi Brand. V. Junioris.

1563.

VIRTVTIBVS ET GENERE PRAECLARO VIRO D. Nicolao à Diesbach, domino suo colendissimo Heinrychus Bullingerus S. D.



RAECEPIT *omnibus suis cultoribus* Dominus *noster, omnia sua consilia & facta instituant ad gloriam dei salutemq; proximi prouehendã.* Proinde *in eundem illum finem & ego hunc quoq;* Librũ *meum, pro gratia mihi concessa à domino, scripsi.* Cumq; *cernerem multos uiros pios, non abs re, offendi grauiter, scriptis doctorum hominum aduersarijs, adeò ut plures iam uniuersam* Christi *religionem rixis istis in dubium uocari querantur, conatus sum mox ab initio libri, huic morbo medicari.* Osten*do itaq;, tametsi odiose inter sese rixentur ecclesiarum ministri, factum tamen* Dei *bonitate, ut in* Christo *& in doctrina eius, simpliciores quoq;, modò non sint incurabiles, doctrinam claram, certam atq; absolutißimã inuenire poßint de uera salute, & quid in dißidijs ministrorum quisq; uel facere uel cauere debeat.*

Deinde *cum certamen hactenus declinare non potuerim, sed à* Brentio *in harenam fuerim protractus, existimaui tamen hoc unice mihi studendum esse, ne odiosius certarem, neq; quicquam in hac con*

trouersia uel docendum uel defendendum mihi sumerem nouum, quod non antea quoq; eodem modo senserit, crediderit, tradideritq́; ex uerbo Dei *ecclesia* Christi. *Sunt ergo hæc potiora controuersiæ nostræ quæ contra* Brentium *defendo capita*, Cœlum *locum uel mansionem beatitudinis nostræ, supra nos in excelsis esse, nō penes nos in terris, aut ubiq; esse.* Christum *enim dominum nostrum ascendisse in cœlum ut in locum certum, quem ipse parauit, in quo ipse est, & quo omnes sibi credentes ad se assumit.* Item, Dexteram Dei *patris, ad quam consedit dominus noster, commonstrari nobis à scriptura etiā supra nos in cœlo, tametsi interim quàm longißimè latißimeq́; expandatur regnum eius.* Præterea *dominum nostrum* Iesum Christum *uerum deum & hominem naturas utrasq; in una indiuisa persona sic conseruare integras inuiolatas atq; impermixtas, ut humana, neq; propter unionem personalem, neq; propter exaltationem in maiestatem* Dei, *facta sit infinita, ut iam perinde sit ubiq;, sicuti diuinitas eius est ubiq;.*

Cæterum *commemorata hæc doctrinæ meæ capita, oppugnat* Brentius, *neq; aliam ob causam oppugnat, quàm ut hoc modo contra nos ratiocinetur,* Quando *iam constat uerū* Christi *corpus esse ubiq;, manifestum est hoc ipsum & in* Cœna *adesse percipiq; uerè & corporaliter, tam à fidelibus quàm infidelibus, & quidē in omnibus ijs locis, in quibus super terram* Cœna *celebratur dominica.* Et *iterū,* Quando *constet cœlum non esse locum certis locorum spacijs distinctum, sed definiri maiestate* Dei, *quæ ubiq;*

est, nos perperam ex ascensione domini in cœlum colligere Christi corpus corporaliter non esse in Cœna, quod corporaliter residcat in cœlo. Nulla uerò neceßitate in disputationem perplexißimam trahit aduersarius capita illa fidei nostræ certißima de ascensione Domini *in cœlum, & de sede certa beatorum in cœlis. Sed & mysteriũ Cœnæ, longe alia quã existimet* Brentius *ratione, rectius feliciusq; illustrari poterit.* Neq; *enim quisquam de nobis suspicetur, eò peruenisse uesaniæ, ut arbitremur in ecclesia* Dei *iuxta institutionẽ Christi, Cœnam Christi, sine Christo celebrari posse.* Etenim *non excludimus è Cœna* Domini Dominum, *sed maxime suis præsentem esse docemus, ea presentia, qua ipse se suis affuturum declarauit, tametsi uidelicet amplius non sit corpore suo in mundo futurus, non deserturum tamen suos usq; ad consummationẽ seculi.* Eodem *modo minimè negamus in Cœna fideles ali uera carne & uero sanguine Christi: sed eo modo quem ipse nobis iterũ exposuit, spiritualiter per fidem. Sufficiebat hæc quondam de Cœna* Domini *sententia uetustæ Christi ecclesiæ, neq; requirebat amplius, uerùm concors & pacifice inter se uixit.* Brentio *uerò istis nondum factum est satis, ampliora enim nescio quæ requirit, atq; ita perplexißimæ inuoluitur disputationi, ex qua se non facile extricabit amplius, Cœlum enim illi non amplius supra nos, sed ubiq; est, sicuti & corpus Christi.*

Dolet *mihi sanè ex animo hæc controuersia, mallemq; pacem colere cum aduersario: rursus tamen,*

cum res ita fert, alacri lætaq; mente confeſſam defendo ueritatem, quam ut deſerere non poſſum, ita non debeo. Accedit *his quod ille* D. Martyrem *beatæ memoriæ, uirum alioqui integerrimum, & me, criminationibus atrociſsimis planè adoperuit, quaſi uerò omnipotētiam* Dei *diuinitatemq; Chriſti negemus, conemurq; Chriſtum ſolio ſuo deturbare regio ac cœleſti, quæ profectò indigniſsima impijßimaq;, quî potuiſſem, obſecro, præterire diſsimulareq; ſilentio? Interim tamen reſponſionem meam ſic tempero, ut quantum quidem eius fieri potuit, metas non excedam modeſtiæ, ne copia malorum uerborum conuitiorumq;, lectorem alioqui plus ſatis nauſeabundum impatientemq; prorſus commoueam ad indignationem.* Fui *autem hucuſq; ſic animatus, ut maluerim ſemper uelimq; adhuc uinci quàm uincere arte conuiciandi.* Mihi *abunde ſatis eſt ſi uincat ueritas, ſi uincat Chriſtus, cui ſoli omnis in ſolidum debetur gloria. Sicut autem priora illa mea de hac controuerſia edita ſcripta, Chriſto eiuſq; eccleſiæ ſubieci, tanquàm iudicibus æquiſsimis, ita & huius præſentis* Libri *iudicium, humili debitaq; cum ſubiectione ijſdem permitto.*

Et *hic quidem alter eſt* Liber *de hac à me ſcriptus controuerſia.* Primus *enim quem in hoc argumento uulgaram inſcripſeramq;,* Tractationem *uerborum* Domini, *&c. qui alioqui numerari potuiſſet tertius, nominatim à me non erat ſcriptus in* Brentium, *ipſe uerò in ſe ſcriptum forte exiſtimans, in me protinus ſtylum ſtrinxit, eaq; re in harenam uel renitentem*

protraxit,

protraxit, ut coactus tunc responderim, & nunc iterum secundam responsionem adornarim, imò effuderim uerius quàm scripserim, negotijs meis præpeditus & breuitate temporis exclusus.

Quemadmodum uerò superiora illa mea huius argumenti opuscula, tuæ dedicaui humanitati, domine colendißime, ita hunc tertium quoq;, defensionem superioru m, tuo sub nomine prodire uolui, testimonium mutuæ inter nos amicitiæ, & quod amans ueritatis, defensionem ueritatis accipere merearis. Dominus Iesus seruet te domine colendiß. unà cum tuis omnibus. Datæ Tiguri *prima die Februarij.* Anno Domini M. D. LXIII.

FVNDAMENTI FIRMI PARS PRIMA.

De graui nostri seculi in negotio religionis dißidio, & quantæ hinc oriantur offensiones, quodq; illa omnia ab ipso Domino & eius Apostolis sint prædicta, & quæ nam contra hæc nobis administrauerint medicamina. CAPVT I.

Maximæ in religione dissensiones.



NON Frustra sanè omnes nostri seculi tranquillitatis amantes homines, grauiter conqueruntur omnia propè dissidijs inplacabilibus & controuersijs perplexissimis & inuoluta esse & conturbata, & quidem in ea religione, quam omnium simplicissime & placidissime oportuerat esse expositam, quod ea nobis sit à sanctis Dei prophetis & apostolis tradita placide, perspicue & simplicissime. Etenim constat Iudæos suæ superstitioni ita inhærere mordicus, ut ex aduerso non uereantur blasphemare Dei filium Iesum Christum, sacrosanctam item fidem Christianam, deiparamq; virginem vnà cum sanctis Christi apostolis di

ris

ris lacerare conuitijs. Constat & Turcas fidē suam quam à Mahumede didicerunt (licet & ipsa in sectas dissecta sit plurimas) supra omnes omnium religiones extollere, & insolenter de suis gloriari uictorijs, ceu certissimis veritatis suæ fidei testibus. At præter hos iam cōmemoratos, dissident inter se ipsi etiam Christiani, tāta animorum ex acerbatione, ut sese mutuum non modo turpiter conspuant, sed & crudeliter contrucident. Nam non soli sectatores Romanæ ecclesiæ, qui & ipsi in partes scinduntur varias, inimicitias graues cum Euangelicis exercent, sed & ipsi inter sese Euangelici acriter pungunt & pugnant, dum in concionibus mutuum sese criminantur & editis scriptis admodum acerbis mutuum stylo sese confodiunt. Hinc enim audiuntur inter nos infelicia partium nomina cum Lutheranorum tum Zuinglianorum.

Commouet vehemens & implacabilis hæc dissensio non paucos adeò, vt animum veluti despondentes, dicant se posthac nihil amplius, nisi quod ipsis libeat credituros. Quinimo fidem abijcientes, clamant, Quid oro fidei in tot factiones distractæ tribuas? Alij perseuerant quidem in ea religione, quam semel didicerunt, sed quamuis in eadem desiderent plurima, & audiant meliora, malunt tamen in re- Offensio exoritur ex hac dissensione.

ligione non admodum purgata,cum eiuſdem religionis conſortibus concordes viuere, quà in purgatiſsima diſcindi & contendere perpe tuo. Non deſunt deniq; qui cum in ſyncera re ligione perſeuerent, fatigati tamen diuturna & moleſta contentione, nec doctrinæ veræ tantum tribuunt, quantum debebant, nec mi niſtros amant, ſed ipſis maledicunt.

Anthores diſſenſionũ punientur à Deo.

Nec dubium eſt,quin grauiſsima à Deo iu ſto mulctandi ſint pœna,quicunq; veri huius dilacerationis conturbationiſq; & offendicu li authores ſunt: cum ſciamus ipſum in Euan gelio Dominum dixiſſe, Væ mundo ab offen diculis. Oportet quidem venire offendicula: ſed væ homini per quẽ offendiculum venit.

Vaticiniũ domini Ieſu de diſſenſionibus iſtis.

Idem ille Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro ſuo in nos fauore, pro ſua in nos charitate & fide,omnia illa quæ hodie eueniunt ita euẽ tura ad conſolationem & admonitionem om nium noſtrum prædixit, ſimul & medicinam efficaciſsimam offenſioni huic enormi adhi buit atq; dixit, Exorientur bella & bellorum rumores: & conſurget gens contra gentem, & regnum contra regnum. Tunc tradent uos in afflictionem, & occident vos, & eritis inuiſi cunctis gentibus propter nomen meum. Venient etiam multi in nomine meo, & dicent, Ego ſum Chriſtus. Exorientur item multi pſeu

pseudoprophetæ, & seducēt multos. Et tunc offendiculum patientur multi, & alius alium inuicē tradent seq; odio habebunt inuicem. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet multorum charitas. Qui autem perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit. Matthæi 24. Sunt autē verba hæc Domini adeò illustria, vt planè nulla mea indigeant explanatione. Principiò enim accipiat quisq; ea quæ fiunt hodie, & adhibeat hisce Domini verbis, dicet autem protinus singula non tantum quadrare adamussim, sed insuper exactissimè completa esse adimpleriq; quotidie. Deinde claret Dominum contra pestiferum hoc malum nō aliam nobis suppeditare medicinam quá perseuerantiam, nimirum in vera fide Christi, & in veritate verbi eius, in finem vsq;.

Medicina contra dissensiones.

Ex spiritu & hac doctrina Domini Iesu, vaticinati sunt de his nostris postremis temporibus, de dissidijs & offendiculis sancti eius apostoli, nec aliam ostenderunt medicinam quam illam ipsam quam dedit nobis Dominus. Nam postquam Christo charus beatus Petrus in posteriore sua Epistola cap. 2. & 3. copiose descripsisset postremi nostri seculi cō scelerationem & corruptionem extremam, sub finem epistolæ medicamentum efficax ad mouet, & ait, Quapropter dilecti postquam

Vaticiniū & medicina apostolorum.

præmoniti eſtis, cauete ne ſimul cum alijs nepharioru̅ errore abducti, excidatis à propria ſtabilitate, ſed creſcite in gratia & cognitione Domini noſtri & ſeruatoris Ieſu Chriſti, &c.

Et Paulus cum in 2. ad Timoth. 2. cap. compluribus perſequutus eſſet poſtremi huius ſeculi pericula, offenſiones, iniquitatem, & grandia ſcelera, ſubiungit his medicinam, iubens nos eius inhærere exemplo exprimereq́; eius patientiam in tentationibus atq; afflictionibus, ac his omnibus tandem ſubdit, Tu verò perſeuera in his, quæ didiciſti, & quæ tibi credita ſunt, ſciens à quo didiceris, & quod à puero ſacras literas noueris, quæ te poſſunt eruditum reddere ad ſalutem per fidem in Chriſtum dominum noſtrum, &c. Legat qui velit quæ in eo ſequuntur capite & mox 4. conſequente: Quæ omnium mirum in modum hoc illuſtrant negotium.

Dißidium in negotio religionis non eſſe nouum, & quanta ſchiſmata quantæq́; diſſenſiones fuerint in eccleſia Chriſti ueteri.

CAP. II.

Chriſtus catholicus ſuæ eccleſiæ doctor.

CAEterum diſſenſiones illæ in religionis negotio non nunc primum noſtro ſeculo in eccleſia Chriſti ſunt exortæ. Pertinet quidem vaticinium Domini & apoſtolorum ad poſtrema tempora noſtra ſingulariter,

ter,interim verò applicari illud debet quibuslibet ecclesiæ Christi seculis, etiam proxime tempora Christi ac apostolorum consequentibus. Christus enim Dominus vniuersalis est pastor vniuersæ suæ ecclesiæ.

Certamina ueteris ecclesiæ.

Et quidē in vetustissima illa ecclesia, quæ seculis aliquot antecessit Christi aduentum in carnem, fuerunt sanè grauissima certamina inter veros Dei seruos prophetas, & inter regum ministros Baalitas sacrificos. Habebant hi à suis partibus reges & principes, ac veros Dei prophetas truculentissime persequebantur, tanquam blasphemos, seductores & seditiosos nebulones. Extant horum certaminum clara in veteri Regum Israelis & Iudæorum historia: ex qua si quis tolleret ea quæ de huiusmodi grauissimis concertationibus scripta sunt, potiorem & meliorem partem tolleret.

Dissidia in religione præcedētia proximè aduentum Christi.

Ac ante incarnationem Domini annis circiter 130. emergebant in populo Domini ordines quidam noui, factiones videlicet pharisæorum, Sadducæorū & Essenorū, & post hos nescio quæ plures aliæ: quos ignorauerat priscum seculum ecclesiæ Dei. Dissidebat hoc inter se hominum genus dogmatibus, vestitu, moribus, & altercabantur inter sese & persequebantur mutuum. Quod copiosius videre licet Antiquit, lib. 13. cap. 8. item de bello Iudai

co lib.2.cap.7. apud Iosephum. Erant hi populi Dei proceres atq; ductores doctoresq; præcipui. Nec alios habuere infensiores hostes Christus dominus atq; eius discipuli quàm illos ipsos, cum quibus & acerrime pugnarunt, neq; vnquam cum eis in concordiam coire potuerunt. Id quod historia euangelica & apostolica testatur abundè.

Dissidia tẽporibus Christi.

Ioan.7. ad hunc modum legimus, Multi de turba cum audissent sermonem Domini, dicebant, Hic est vere propheta. Alij dicebant, hic est Christus. Quidã uerò dicebant, Nũ è Galilæa veniet Christus? &c. Dissensio itaq; orta est in turba propter eum. Sed & in Actis Apostolorum ita legimus, Diuisa est autem multitudo ciuitatis: & quidam quidem stabant à Iudæis, quidam verò ab apostolis.

Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 7. commemorat Iudæos obiecisse Christianis varias in Christianorum doctrina dissensiones, atq; inde collegisse Christianorum religionem falsam esse: cũ veritatis doctrina concors sit, non discors.

Multæ in primitiua ecclesia sectæ.

Irenæus & Tertullianus scriptores veteres, qui à temporibus Christi in ecclesia docuerunt circiter annum 200. enumerant plurimas hæreses sua iam ætate vigentes, eorũ qui & ipsi volebant videri Christiani, quales fue-

runt

runt Cerinthus, Hebion, Menander, Saturninus, Basilides, Carpocrates, Valentinus, Cerdon, Martion, Appelles, & adhuc alij eius farinæ complures. S. Augustinus de hæresibus ad Quoduultdeum enumerat hæreses 88. quæ sua ætate circiter annum Domini 400. irruperint in ecclesiam eamq; miserè vexauerint. Vnde claret dissidia & certamina grandia fuisse, non tantum inter Christianos, Iudæos & gentes siue paganos, sed & in ipsis ecclesiæ visceribus inter fratres.

Eusebius Cæsariensis episcopus lib. de vita Constantini 2. & 3. author est sub imperio Constantini, quando Christiana religio alioqui progressus per vniuersum orbem maximos faciebat, dissensiones per vrbes & ecclesias fuisse horribiles. Nam ipsos verbi duces & & ecclesiarum pastores, non tantum mutuo sese prosequutos esse odio, sed & in concionibus sacris sese mutuum accusasse conspuisse & condemnasse. Vnde & dissensionis malum inuaserit ipsum quoq; populum, qui dissectus in factiones contrarias tantum non sese dilaniauerit. Paria inueniuntur in Socratis historia lib. 1. cap. 6. & in Sozomeni historia lib. 1. cap. 16.

Dissidium in Ecclesia Const. temporibus.

Idem ille Socrates lib. 4. cap. 32. testatur Valentem Imperatorem Valentiniani fratrem

Valens Imperat. iniquus Christianis propter dissidia.

iniquiſsimum fuiſſe Chriſtianis, hoc potiſsimum nomine, quod viderentur eſſe in repub. admodum turbulenti ac factioſi, Themiſtium verò philoſophum virum moderatiſsimum & prudentiſsimum admonuiſſe Imperatorē, ne adeo moleſte ferat Chriſtianorū diſsidia. Eſſe enim modicam ipſorum differentiam, ſi conferatur cum multitudine confuſioneq; Ethnicorum dogmatum vel opinionū, quæ non poſsint aliquot etiá centurijs terminari. Quiſquis vero verſatus eſt vel modice in hiſtorijs, nouit quàm graues in eccleſia inter ipſos etiam Epiſcopos obortæ ſint controuerſiæ. Quis enim ignorat certamen acerrimum Conſtantinopolitanorū & Romanorū epiſcoporum, de eminentia vel primatu, dum vterq; primum in eccleſia locum occupare contendit? Quis neſcit horrenda bella inter Pontifices Romanos & Imperatores Græcos geſta propter vſum imaginum Chriſti & Sanctorū in templis Chriſtianorum? Alijs quidem illas è templis eijcientibus oppugnantibuſq;, alijs verò reſtituentibus atq; defendentibus. Exorta eſt item altercatio turbulenta inter Pontificem Romanum & inter Epiſcopos, Germaniæ potiſsimum, & aliarum nationum, propter cōnubium ſacerdotum: dum iſti prohibitum vt rem illicitá cōtendunt: hi verò doctri-
nam

nam apostolicam pro sacerdotum coniugio adducunt & minimè prohibendũ affirmant. Ex qua diuersitate apparet emersisse aduersarias illas definitiones, quæ etiamnum leguntur in contrarijs Conciliorum & Canonum determinationibus, his quidem rem eandem approbantibus, illis verò reprobantibus.

Iam verò quis nesciat Romanæ ecclesiæ assectas, qui se pro Christianis omnium præstantissimis & pro ipsa vera Dei ecclesia venditant, inter se habere Albertistas, Thomistas, Scotistas & nescio quæ alia diuersarũ inter se se factionum nomina, quæ & sua inter se habent odiosa certamina? Quot deniq; inter illos sunt diuersi ordines, nominibus, regulis, coloribus vel vestitu & multis alijs inter se differentijs, discrepantes? Inuenit ista prouexitq; omnia humana curiositas legum diuinarum oblita & imperita. Disidént autem inter se homines isti, dum alius alijs se pręfert & sua dogmata suasq; obseruationes præstantiores esse arbitratur, inde inter eos simultates, odia atq; conuitia. Indignissimè autem ferrent hi omnes, si quis eos propter discrimina & dissidia illa sua, excludere vellet vel ex ecclesia vel à nomine Christiano.

Dissidia Rõ. eccles.

Nulla consequutione iusta colligi doctrinã

eorum qui credunt Christi euangelio, dubiam esse aut falsam, eò quod inter ipsos dissensiones reperiantur. CAP. III.

Antilogię. PRoinde inanem nauant operam, qui nostra ætate prolixos edunt libros & tabulas antilogiarum analyticas componunt atq; orbi obtrudunt, quibus commonstrant euangelicos inter se dissidere ministros, & quidem in dogmatibus atque ritibus. Vnde mox ad hunc modum concludunt, Deus est Deus pacis, & non confusionis aut dissensionis. Euangelici autem in sua fide inter se dissentiunt confuse, ergo fides ipsorum neque ex Deo est, neque ecclesia ipsorum vera esse potest ecclesia, quæ falsam fidem habet. Etenim si essent ex Deo, pacifici vtique concordesque essent, sicuti Deus est Deus pacis & non confusionis.

Distinguendum verò erat inter ea capita quæ in doctrina & fide ad salutem sunt necessaria, & inter ea quæ minus sunt necessaria. Constat autem in præcipuis fidei veræq; doctrinæ capitibus pulchre inter se omnibus vere fidelibus congruere. Tametsi enim hæc quoque nonnulli aliquando non probè intelligant, & hic quoque dissideant à cæteris fidelibus, tamen ad tempus duntaxat certum

ita

ita hærent, tandem verò redeuntes ad mentem saniorem conspirant sanctè cum Christi ecclesia. A qua si dissiderent perpetuò, alieni sanè à vera fide meritò iudicarentur. Cæterum propter hanc imbecillitatem & dissidia temporaria dici nec potest nec debet, nullam prorsus in ecclesia esse cócordiá in fide. Quis enim facile dixerit regnum aut rempublicam aliquam, nulla coniunctam esse concordia, nulláue vti sanitate, quod in eâ reperiantur contentiosi aut etiam seditiosi & ægroti aliqui. Quapropter cum in ecclesia sunt dissidia, non de præcipuis quidem fidei capitibus ad salutem hominum pertinentibus: sed fortè de ritibus inæqualibus, aut de sensu vel interpretatione scripturarum varia, qua tamen & ipsa non oppugnâtur sanus vel salutaris veræ fidei consensus, perinde non debet infamari, quasi nulla sit in ea pax atque concordia, ac si coniuges in œconomicis quibusdam rebus inter se grauiter dissentiant, ideô tamen coniugij vinculum non dissoluant. Dissentiunt reuera & isti inter se, & tamen coniuncti manét in vinculo coniugali. Talis est omnino ratio concordiæ atque discordiæ in ecclesia.

An verò dicent isti & ecclesiam Christi primitiuam nullam coram Deo veram fuisse ecclesiam, nullam habuisse vel doctrinam vel fi-

dem veram, quod ipsa inter sese non rarò dissenserit, ac ministri eius præcipui propter dogmata & ritus acerrima bella gesserint? Aut quis dixerit apostolorũ doctrinam ideò sibijpsi repugnare, quod Porphyrius Tyrius collegerat ex historia euangelica & doctrina apostolica nescio quas antitheses, quibus infamẽ reddere voluit doctrinam euangelicam, sicuti suis antithesibus hodie quoque omnibus ingratam efficere cupiunt nostram doctrinam, quam hodie ex doctrina euangelica & apostolica tradimus?

Sunt & ueræ fidelibus suæ controuersiæ.

Cæterum vt omnibus appareat liquido ecclesiam Christi dissidijs fuisse obnoxiam, non tantum à fucatorum Christianorum hæreticorũq; cõtradictionibus, sed quod ipsi quoq; viri orthodoxi & veri Christiani ipsi inter se infestis armis concurrerint, contrariasq; doctrinas asseruerint, & nihilominus manserint membra ecclesiæ Christi, quæ & ipsa permanserit vera ecclesia seruaritq; veram Christi fidem, repetam quædam huius paulò altius & tamen succinctius.

Petrus & Paulus inter se dissident.

Ipsi electi Dei apostoli, & vere fideles viri in ecclesia Christi, controuersias inter se habuere graues. Quis enim nesciat Paulum restitisse beato Petro in faciem, in ecclesia Antiochena, atque reprehendisse ipsum. Narrat hoc ipse

ipſe apoſtolus Paulus in 2. cap. ad Galat.

Iam verò apertius eſt quàm negari poſsit, exortam eſſe inter Paulum & Barnabam ex vna quidem parte, ex altera verò inter Phariſæos, qui nomen Chriſti receperant, grauiſsimā altercationē, non de aſini, quod dici ſolet, vmbra, ſed de primario religionis Chriſtianæ articulo, per quid nobis obtingat iuſtitia? Ideò enim coijt Concilium Hieroſolymis, ac declarauit, fide, non lege, iuſtificari credentes. Extant hæc copioſe à Luca expoſita in 15. capite Actorum apoſtolicorum. Ingens primitiuæ eccleſię diſſidium.

Idem Lucas author eſt, Paulum & Barnabam par incomparabilium amicorum & fratrū, indiſſolubili amoris nexu compactū, per diſſenſionem tamen diſsilijſſe, atque ita acriter irritatos efferbuiſſe, vt alter alterum reliquerit. Ita enim ait Lucas, Poſt aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus, Reuerſi inuiſamus iā fratrés noſtros per omnes ciuitates per quas annunciauimus verbum Dei, cogniturì quomodo res illorum habeant. Barnabas autem conſuluit vt aſſumerent ſecum Iohannem, qui vocabatur Marcus. Paulus autē æquum non cenſebat eum ſecum aſſumere qui defeciſſet ab ipſis ex Pamphylia, nec eorum comes in illo opere fuiſſet. Sic igitur ſunt exacerbati vt alter ab altero abſcederet. Acto. 15.

Dissidium ecclesiæ Corinth.

In ecclesia quoq; Corinthiorum nõ erat leue schisma. Nam hic quidẽ dicebat, Ego sum Pauli, ille verò, Ego sum Petri, tertius clamabat, Ego sum Apollo. Erant inter fideles & aliæ nonnullæ dissensiones de rebus varijs, vti videre est in priore apostoli epistola ad Corinthios.

Ad Philipp. 1. cap. ipse apostolus manifestè testatur concionatores suo etiã seculo non fuisse concordes in annunciando euangelio, & nihilominus tamen, ait, Attamen quouis modo siue in speciem, siue syncerè Christus annũciatur, de hoc quoq; gaudeo atq; gaudebo.

Dissidium in paschate celebrãdo.

Grauis & diuturna contentio de paschate exorta est inter sanctissimos doctores primitiuæ ecclesiæ, ipsis mox dom. apostolis succedentes, durauitq; per annos propè 200. Nam Euseb. in eccles. historia affirmat dissidium hoc demum per Nicenam synodum esse sublatum.

Dissidium in Cõcilio Niceno.

In eadem synodo Nicena erant varia dissidia & acres contentiones inter doctores ecclesiæ. Id quod Constantinus Imp. indigne ferebat. Non dicam modò quàm varia acerbaque & multiplicia fuerint inter ipsos certamina in alijs consequentibus concilijs. Certè adeò excreuit hoc malum, vt bonis omnibus per ecclesiam doluerit vehementissimè.

Acce-

Accedit his omnibus quod præclari in ecclesia doctores inter ſeſe commiſsi, pugnarũt, quilibet pro ſua opinione, animo planè infenſiſsimo. Quod ipſorummet libri & hiſtoriæ eccleſiarum teſtantur. Cornelius & Cyprianus beati martyres & epiſcopi, vnà cum epiſcopis Aphricæ & Italiæ acriter contenderunt de rebaptiſandis hæreticis, his quidem vrgentibus rebaptiſandos eſſe, illis maximè negantibus. Cornelius & Cyprianus.

Petrus Alexandrinus & Meletius Ægyptiacus unà cum ſuis ſectatoribus ita ſunt pro ſuis aduerſas exacerbati ſententias, vt diſsilierint prorſus, ſinguliq́; ſingulas conſtituerint eccleſias, & Meletius quidem ſuam eccleſiam nuncuparit Martyrum, Petrus verò ſuam appellarit catholicam. Contendebat Petrus lapſos in peccata, & eos qui propter tormenta negarant fidem Chriſti, nunc autem pœnitentes cuperent reconciliari eccleſiæ, in gratiam eſſe recipiendos: Meletio contra nolente quenquam iſtorum recipere, & iam etiam ſeparante ſe ab ijs, qui lapſos recipiebant. Teſtatur de his Epiphanius in ſua illa Panaria contra hæreſes, fol. 346. Petrus Alexand. & Meletius.

At idem ille Epiphanius Salamine Cypri epiſcopus, qui miraculis claruit, & maxima authoritate, etiam apud hoſtes fidei & hære- Epiphan. & Chryſo.

ticos polluit, ſicut teſtatur Hieronymus, inſtinctu Theophili Alexandrini epiſcopi, diſsidio inextricabili & implacabili cū eloquentiſſimo Conſtantinopolitanorum epiſcopo Ioanne Chryſoſtomo, commiſſus, in ſynodo quadam Cypria, libros Origenis damnauit, quos Chryſoſtomus damnare noluit. Scribit hac de re Sozomenus lib. hiſt. 8. cap. 14. & 15. item Nicephorus Calliſtus in ſua hiſt. eccleſ.

Cyrillus & Ioan. Antiochenus.

Ita concurrerunt inter ſe cum ſuis ſectatoribus Cyrillus Alexandrinus & Ioannes Antiochenus epiſcopi, qui tamē ſibi pulchrè ſunt reconciliati rurſus, cum ſententiam ſuam illuſtrius explicaſſet Cyrillus.

Hieronym. & Ruffin.

Controuerſias inter ſe habuerunt Hieronymus atque Auguſtinus, & Ruffinus atque Hieronymus. Nec deſunt viri docti & boni, qui arbitrantur Hieronymum in ea contentione limites modeſtiæ tranſilijſſe.

Præterea contenderūt diu epiſcopi Aphricæ cum Romanis epiſcopis Sozimo, Bonifacio, & Celeſtino, propter prouocationem, quam appellationem vocát, eccleſiarū Aphricæ, ad ſedem Romanam. Noluit autem S. Auguſtinus cum Aphricæ epiſcopis eam poteſtatem cedere Romanis pontificibus.

Quorſum hæc omnia pertineant.

Poſſem huius generis multò plures eccleſiæ diſſenſiones commemorare. Quibus præ-

clari doctores ecclesiæ inter sese cōmissi, certarunt, nisi hæc exempla bonis sufficere existimarem. Quando verò hi omnes crediderunt in Christum, & præcipua religionis nostræ capita reciperent, interim verò suas haberent controuersias, propter quas mutuis etiá conuitijs sese conspurcarunt, nemo sanè colligebat, dissidere inter se præclara ecclesiæ lumina, eam ob rem eos neq; ecclesiam habere vllam neq; fidem aut doctrinam sanam: Quare itaq; in non impari causa hodie nō pariter iudicatur? Tametsi enim nec eruditione nec sanctitate adductis pares simus doctorib. sumus tamē & ipsi Christiani, recipimus ipsa capita fidei prima, sumus & ipsi ecclesię Dei ministri, ac controuersiæ quæ inter nos sunt, ita agitantur vt vtrinq; velimus articulos fidei Christianæ permanere inuiolatos.

Quomodo se gerant & quid faciant simplices, dum contentiones in religione adhuc inter doctos uigēt, necdum possunt componi. CAPVT IIII.

QVæ autem commemoraui hactenus de antiquæ ecclesiæ controuersijs atque dissidijs, non in hoc cōmemoraui, vt dissidia defendam & per se bona esse existimem: sed in hunc finem potissimum hæc adduxi exempla, vt simplices rerumq; imperiti hinc

capiant consolationem, nec dissidijs doctorū nostri seculi virorum offendātur, aut verum esse existimēt, quod nonnulli dicunt, nullam ibi esse ecclesiam doctrinam & fidem ueram, vbi dissensiones reperiuntur. Quin supplicēt singuli sine intermissione Deo, petentes ut quemadmodum ille immensa sua gratia, progressu temporis grauissimas ex ecclesia dissensiones sustulit & pacem ecclesiæ restituit, ita nunc quoq; dissidia nostra componat & concordiam ac pacem concedat. Potest ille desperatis etiam rebus succurrere.

Orādū pro concordia.

Quomodo se gerat simplex in hisce dissidijs.

Interim verò dum vigent illa in ecclesia certamina, & docti inter sese & concionando & scribendo belligerātur ac se mutuum damnant, respiciat fidelis quilibet vnice & rectà ad Christum dominum vnicum seruatorem nostrum, contendatq; viribus suis omnibus, vt per fidem veram Christum apprehendat atque possideat & in corde suo retineat, auertat verò oculos animi ab vniuersis illis concertationibus doctorum, nec sinat se à Christo per illas alienari. Et qui Christum prædicant, vni omnia vitæ & salutis tribuunt, huic vni innitendum, & hunc solum sequendum esse docent, ijs demum auscultet & credat, & quod verum esse didicit & credidit, seruet & tueatur,

Domi-

Dominus noster in Euangelio secundum Matthæum interrogat discipulos suos & ait, Què me dicũt esse homines? Et respõderunt ipsi, quidam aiunt te esse Ioãnem Baptistam, alij aiunt te esse Heliam, alij Ieremiam, aut alium quempiam ex prophetis. Vbi palàm cernimus illo etiam tempore, quo ipsemet dominus prædicabat euangelium, inter homines varias de Christo fuisse opiniones. Cæterum non vult dominus suos instar vulgi incertis dubijsq; opinionibus discindi & vacillare, sed certam suæ fidei edere confessionem. Dicit enim iterum suis discipulis, quem verò vos me esse dicitis? Et respondebat Simon Petrus ac dicebat, Tu es Christus ille viuentis Dei filius. Quæ sane vera & orthodoxa est fides, & veræ fidei syncera confessio, nempe vt corde credamus & ore cõfiteamur, Iesum Christum esse verum Deum & hominem, vnicum mundi saluatorem Messiam illum expectatum regem atq; pontificem: in quo omnes fideles habent omnem plenitudinem & vitam æternã.

Hoc fundamentum collocat ipse dominus cui imponi debeat ecclesia, tutò consistere & seruari. Nam dicit Petro dominus, Et ego tibi dico, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum (nimirum vniuersa potestas aduersaria

Firmũ fundamentum, cui tuto inniti potest fidelis.

validissimaq; atq; adeò ipse satanas cum vniuerso regno inferorum) non præualebunt aduersus eá. Ita verò dominus semetipsum collocat fundamentum fidelium, cui tutò innitantur & in quo certò salui fiant. Sicuti Paulus attestatus est aliud fundamentum poni non posse, quàm quod positum est, Christus Iesus. Ædificatur super hoc fundamentum fide, quando vera fide Christo innitimur. Ita verò fideles crescunt atq; exurgunt in domum spiritualem, & fiunt ecclesia, cœtus populi Dei. Sic enim hoc negotium nobis exponit beatus Petrus, & ait, Ad Christum accedentes, qui est lapis viuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus & preciosus, ipsi quoq; veluti lapides viui ædificemini, domus spiritualis, sacerdotiũ sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum. Porrò tale ædificium perstabit super petra Christo firmũ, contra ipsas quoq; inferorũ portas. Proinde Christus est firmum illud fundamentum, cui tutò fidelis quilibet inniti potest, vtcunque doctorum ecclesiæ, alius quidem sic, alius verò aliter sentit, & prædicat de Christo.

1. Cor. 3.

1. Petri 2.

In dissidio multorum ꝙ defectione inhæreat fidelis Christo.

Idem ille dominus noster iterum collocat semetipsum firmum omnium fidelium fundamen-

damentum,apud Ioan.in cap.6. docens ſe panem vitæ deſcendiſſe cœlo, incarnatum eſſe, ac carnem ſanguinemq́; ſuũ tradidiſſe in mortem,ad cibum potumq́; vitæ æternæ,vt quiſquis ederit biberitq́; ex ipſo,id eſt Chriſtum ſeruatorem & vitam ſuam vera fide fuerit amplexus,xicturus ſit in ſempiternum. At cùm aſtantium non pauci ſermonem domini non rectè intellexiſſent,ſed arbitrarentur carnem & ſanguinem Chriſti edendum potandumq́; eſſe, tãquam quemuis alium cibum potumq́; corporeum, ore corporeo percipiendum,offenſi ſunt hoc doctrinæ genere, quod ipſis uidebatur & abſurdum & barbarum, defeceruntq́; ab ipſo,nec amplius ipſum ſunt ſecuti. Proinde dicebat dominus ad ſuos illos diſcipulos,Ergóne & vos abire vultis? Reſpondit Petrus,Ad quem iremus domine? Tu habes verba vitæ æternæ:& nos credimus & cognouimus, quod tu es Chriſtus filius Dei viui. Proponuntur nobis ea reſponſione inſignia dogmata tria,Prius, Chriſtum Ieſum eſſe vnicum fundamentum &firmam petram vniuerſæ eccleſiæ,id eſt,omnium fidelium. Poſterius,rectam veramq́; eſſe fidei orthodoxæ confeſsionem,quam hic nobis verba Petri commendant, & quam omnes fideles ad eundem modum confiteri iubẽtur.Poſtremum,in de-

fectionibus ſcandalis atq; diſsidijs, qui ſibi cō ſultum volunt, non ſpectare quid alij ſentiāt, aut contendant, ſed imitari ſimpliciter S. Petri exemplum, qui alijs deficientibus, ipſe ſe Chriſto adiunxit, vtpote viuo Dei filio, & iccirco vitæ æternæ, vt, omnes fluctuantes in turbis huius ſeculi & ipſi ſeſe ad hunc portum ſalutis conferant.

Actor. 4. Iam verò cum idem hic Petrus apoſtolus in Actis coram ſenatu Hieroſolymitano verba faciēs, aperte teſtetur & dicat, Chriſtus eſt lapis ille reprobatus à vobis ædificātibus, qui factus eſt caput anguli: nec eſt in alio quoquā ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo, quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſeruari, tenet vtiq; nunc quilibet fidelis, vtcunq; ſimplex & imperitus ſibi alijsq; eſſe videatur, verum & firmum fundamentū, cui innitatur, nempe dominū noſtrum Ieſum Chriſtum. Aut quo cum pudore audebit poſt hac quiſquam conqueri ac dicere? Diſsident inter ſe doctores populi, & hic quidem iubet me ita credere & facere, alius aliud præcipit ac ſuadet: hic ego cum ſimplex ſim, quid potiſsimum ſequar neſcio. Quiuis enim perſpicuè videt adeoque manibus iam tangit, quid credat, quid agat, quid ſequatur. Credat in Chriſtum qui ſolus eſt vita & plenitudo totius

tius mundi. Sequatur apoſtolos, qui, cum ad prædicationem Chriſti offenderentur & defi cerent plurimi, iſto tamen horum exemplo nihil ſunt commoti, neq; dixerunt, nunc quid faciamus, neſcimus, ſed per fidem Chriſto ſeſe coniunxerunt, Chriſto vt vnicæ petræ innixi ſunt, & in confeſsione vnius Chriſti perſeuerarunt. Quid itaque aliud nunc quoque in tanta doctorum diſtractione faciat fidelis quiuis, quàm quod omnium eſt expeditiſsimum, tutiſsimū́q; credat in Chriſtum, & ſalutis omnia quærat in Chriſto, nuſpiam diſcedat à Chriſto?

Atqui quærunt nonnulli, cum contendentes vtrinq; ſe Chriſtum habere & prædicare iactitent quibus notis ipſi deprehendere poſſint, vtra pars ſyncere vel inſyncere Chriſtū annunciet. Ea verò res cognitu nō erit admodum difficilis. Nemo enim ita ſimplex eſt reruḿq; imperitus, vt non animaduertat, ſolusne Chriſtus & in hoc vno ſalutis omnia prædicetur, an Chriſto aliquid coniungatur, cui vel ex æquo attribuatur ſalus, vel ſine hoc Chriſtus inefficax eſſe ad ſaluandum doceatur, adeóq; additamenta diligentius quá Chriſtus ipſe inculcentur. A talibus autem doctrinis vt corruptiſsimis cauendum eſt omnino: Quod certum ſit Deum patrem in Chri-

Quibus notis deprehẽdas qui ſyncere uel inſyncere doceant.

ſto abſolutiſsime omnia ſalutis vitæq́; donauiſſe, & per Chriſtum & fidem in ipſum nos abſolui pleniſsime.

Quod in ſolo Chriſto Ieſu uniuerſa ſalus pleniſsimè nobis ſit exhibita, ideoq́; per Chriſtum fideles ita perfici ſiue abſolui, ut nullis ad conſequendam ſalutem rebus alijs indigeant. CAP. V.

Eccleſia habet in Chriſto omnem plenitudinem.

SEd ne quid dubitationis apud vllos reſideat, commonſtrabo conſequenter ſcripturæ ſanctæ teſtimonijs, Eccleſiam Chriſti in Chriſto domino omnem habere plenitudinem, ac per fidem in ipſum ita perfici vel abſolui, vt omnia vitæ & ſalutis non aliunde, niſi ex ſolo Chriſto expectet. Etenim Dominus apud Iſaiá omnes ad ſe vocat, omnibusq́; plenam bonorum omnium ſaturitatem promittit, ac dicit, O vos omnes qui ſititis, Venite ad aquas, & hi quibus non eſt pecunia, venite, emite, & comedite. Parate cibum ſine argento, & ſine precio vinum & lac. Cur expenditis pecuniam pro eo quod non eſt cibus, & laborē veſtrum pro eo quod non ſatiat? Quin potius audiendo audite me, auſcultate & comedite bonum, & in pinguedine oblectet ſe anima veſtra. Inclinate aurem veſtram & ad me venite, audite, & viuet anima veſtra, &c. Intelligit autem propheta per cibū & potum

Iſaiæ 55.

abſo-

absolutissimam rerum cœlestium ueræq; salutis perfectionem, ad quam percipiendam, obedientia & fide, vehementissime hortatur. Illam enim sua sponte offert, quinimo grauiter eos increpat, qui aliunde illam petunt, diserte significans ipsos oleum, quod dici solet, & operam perdere. Cum salus non inueniatur nisi apud solum dominum. Verba ipsa prophetæ adeo sunt illustria & plana vt nulla nostra indigeant explicatione. Recitabimus tamen obiter domini & saluatoris nostri Iesu Christi verba, quibus ad illa prophetæ respicere & ea veluti interpretari videtur, dum apud Ioan. in ca. 7. ita dicit, Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me sicut scriptura dicit, de eius ventre fluent aquæ viuæ. Et iterum, Quisquis biberit ex aqua hac (fontana & terrena) sitiet iterum: quisquis autem biberit de aqua quam ego dedero ei non sitiet vnquam, sed aqua quam ego dedero, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Habent itaque omnes fideles plenissimam omnium bonorũ in Christo perfectionẽ, vt eis nec alijs rebus opus sit, nec aliunde illã petãt.

Hoc ipsum clarissimè & euidentissime docuerũt sancti Apostoli Christi Petrus & Paulus. Petrus in orationibus vel cõcionibus suis in Actis Apostolorum diligenter descriptis

& in ſuis ſpiritu Chriſti redundantibus epi-ſtolis. S.Paulus ſcribit Hebræis, alte huic er rori fœdiſsimo immerſis, quod Chriſti cogni tio vel fides non abſolueret aut iuſtificaret ho minem, niſi & legis accederet obſeruatio. Demonſtrat ergo his dilucide & euidenter, per Chriſtum iuſtificari vel abſolui credentes, ideoq; nihil opus eſſe vel lege vel legis ceremonijs, ſacerdotio aut ſacrificijs. Nam in Chriſto eſſe omnem plenitudinem, Chriſtum legi ſatisfeciſſe per omnia, in Chriſto eſſe legis impletionem, Chriſtum eſſe vnicum & ſempiternum pontificem vel ſacerdotem, Chriſtum eſſe unicam & ſempiternam hoſtiam quæ ſola ſanctificet & abſoluat, In Chriſto finiri & abrogari vniuerſas legis ceremonias. Proinde quiſquis Chriſtum poſsideat vera fide, eũ eſſe iuſtificatum, & habere omnem plenitudinem, &c.

Paulus ad Hebræos.

Idem Apoſtolus in 1. ad Coloſſ. cap. aperte dicit, Complacuit patri vt in Chriſto omnis in habitaret plenitudo, & per eum reconciliare omnia ſibi, pacificatis per ſanguinem crucis eius, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis. Et iterum in 2. capit. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac cognitionis abſconditi. Nam in eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & eſtis in eo completi, qui eſt caput

omnis

omnis principatus,&c. Obseruanda autem in his diuinissimis apostoli verbis moneo hæc duo capita, Primum quòd apostolus apertè testatur, Deo placuisse omnem in Christo habitare plenitudinem. Vnde consequitur repugnare Dei beneplacito adeoq; æterno & immutabili & inuiolabili Dei consilio atque decreto quotquot plenitudinē illam alibi quàm in vno & solo Dei filio quærunt. Secundum, quod Apostolus perspicuè dicit Christum reconciliasse omnia, quæ in cœlis & quæ in terra sunt: in ipso reconditos esse omnes thesauros sapientiæ & cognitionis, & in illo nos esse completos. Ea verò si vera & certa sunt, vt sanè, profecta ex apostolis per spiritum veritatis, falsa & incerta esse nequeunt, consequitur indubitanter ex his omnibus, quod qui sibi & saluti suæ optime vult consultum, eum vni Christo firmo & vnico fundamento inniti & ab hoc vno per veram fidem omnem petere plenitudinem. De quo etiam in sacrosancto euangelio legimus, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, &c. Ioan. 1.

Quicquid verò perfectæ salutis nobis in Christo à Deo patre exhibitæ, verbis prosequuti sunt & tradiderunt nobis apostoli, id totum expresserunt nobis sancti euangelistæ

Euangeliū demonstrat nobis in Christo omnem plenitudinem.

re ipſa oculis ceu præſente contemplanda per hiſtoriam ſubiecta. Proponunt enim nobis Chriſtum verum Deum & hominem, dominum vniuerſorum, cum cœli tum terræ. Mandat hic elementis ipſis, aquæ & vento, & obediunt ei. Mandat cum imperio ſatanæ, & contremiſcit, vociferatur victus & totus ſubſternitur domino potẽtiſsimo. Remittit ille peccata, Mortuos reſuſcitat in vitam. Sanat omnes languores atq; morbos, etiã fœdiſsimos incurabiles atque deſperatos. Dicit vel verbum, & quicquid dixit voluitq; id factum eſt. Omnium ſecreta atq; adeò ipſa hominum corda ei fuerunt expoſita. Nouit enim & poteſt omnia. Nec tantũ benigne vult, ſed & diuina virtute poteſt in re qualibet conſulere & ſuccurrere miſeris mortalibus. Nec vlla hic re impeditur. Proinde hunc vnicum ſuum filium, vnicam & æternam ſalutem proponit nobis Deus pater, cœlitus, atque ſuper ipſo in hæc verba teſtatur, HIC *eſt filius meus dilectus, in quo placata eſt aĩa mea, ipſum audite.*

Math.3.17 2. Pet.1. Cæterùm non modò potens eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſed etiam volens, id eſt, clemens & benignus. Ne quis enim diceret, Peccator ſum miſer & egenus, nõ auſim prodire in conſpectum tantæ maieſtatis, præoccupat ipſe nos, & in euangelio omnes ad ſe vocans

cans, clamat, Venite ad me omnes qui labora= tis & onerati estis, ego vos reficiá. Quid quod ipse, sicut testatur historia euangelica, benignissime & quasi exertis vlnis excepit omnis ætatis sexus conditionisq; homines. Non abhorruit ille ab vllis quantauis fœditate corporis & animi fœtidis ac turpibus. Excepit omnes, complexus est omnes, sanauit omnes, consolatus est omnes, atque adeo neminem à se dimisit tristem, & quem non adoperuerit beneficijs, Qui verò in ipsum crediderunt, ita sunt saturati & absolutè perfecti, vt post Christum nihil amplius desiderauerint, quæsierint aut postulauerint. Dixerat enim, Qui me ederit ac biberit, in æternum nō esuriet aut sitiet. Quod sanè irrefragabile testimonium est, in solo Christo per fidem perfici plene credētes, ut post Christū alijs rebus ad salutē cōsequendā planè nihil sit necessariū. Math. 11.

Prædicta illustrantur & confirmantur ad huc plenius ex euangelio secundum Ioan= nem. CAPVT VI.

AC euangelium Ioannis quod inter præcipuos & illustrissimos noui testamenti libros, ceu nobilis gemma inter preciosos lapillos lucens, habetur, vnice hoc agit, ut demonstret omnem in Christo esse plenitudinem, & quod credentes in ipsum plenissimè Summa Euangelij secundum Ioannem.

perficiátur, deniq; quod extra Christum nulla sit salus.

Cap. 1. Christum enim Iesum affirmat esse sapientiam & sermonem vel verbum patris quod sit ab æterno in patre & apud patrē, & quod per verbum creata sint omnia quæcunque creata sunt, quocirca verbum quatenus filius Dei est creator sit & non creatura. Hunc Christū Dei filium affirmat esse & vitam & lucem, quæ omnes illuminet quotquot in mundo illuminantur, & quod per ipsum omnes credentes efficiantur filij Dei, deniq; quod æternum illud Dei verbum, caro factum sit, id est, incarnatū, verus & perfectus homo, ex virgine natus sit, & habitarit inter nos vt verum hominem decuit. Hunc ipsum affirmat esse vnigenitum patris in sinu patris, plenum gratia & veritate, de cuius plenitudine omnes accepimus, patriq; reconciliati & dilecti filij facti simus. Esse enim hunc agnum illum, nimirum sempiternam hostiam expiatoriam, Dei, quæ tollat peccata mundi. Hunc baptisare igni & spiritu sancto. Hunc esse scalam per quam pateat ingressus in regnum Dei. Hunc esse vnicum illum seruatorem, per serpentem ęreum olim in lege pręfiguratum. Quocirca qui exaltatum Dei filium in crucē vera fide aspiciat, ei venenum à vetere quondam infusum serpente,

Christus agnus ille Dei.

Cap. 3.

Christus serpens exaltatus.

pente,lethiferum non fore. Sic enim dilexisse Deum hunc mundum,vt pro mundo dederit vnigenitum in mortem,vt quicunq; in ipsum credant, non pereant, sed habeant vitam æternam.

Addit his Ioannes,Iesum Christum esse vnicum ecclesiæ suæ sponsum, qui annunciet ei omnia cœlestia mysteria ad salutem necessaria,atq; adeò ea quæ ipse viderit apud patrem,& iccirco nec vana doceat nec quenquã fallat:tametsi interim infelix mundus institutioni eius verissimæ certissimæq; non credat. Patrem impense filium diligere, & omnia in manus eius tradidisse, negotiumque salutis eternæ sic instituisse, vt quicunque credit in filium hunc Dei, saluus fiat, qui non credit, pereat iraque Dei æternùm illi inhæreat. Christus ecclesiæ suæ sponsus.

Porrò testatur idem ille apostolus, Christũ esse scatebram iugem vel fontem aquæ viuæ, illum esse verum & expectatum Messiam,qui nos omnia doceat: illum esse æqualis essentiæ ac potestatis cum patre, cui cooperetur & cum quo gubernet & conseruet omnia: illum esse panem vitæ è cœlo descendentem ut omnis qui edit ex hoc pane nunquam moriatur sed habeat vitam æternam. Talem verò cibũ ne ipsum quidem Mosen dare nec quenquã Cap. 4. Christus fons. Cap. 5. Cap. 6.

Christus panis uitæ.

vel angelorum vel mortalium. Christum quo que vt solus est vita, ita eundem sua sponte & liberalissimè omnibus fidelibus vitam hanc suam offerre, omnesq; hortari ad eam capessendam.

Cap. 8. Christus lux mundi.

Iterum verò testatur Ioannes Christum esse lucem mundi, quem qui sequantur nō ambulent in tenebris, sed habeant lumen uitæ. Certissimum est enim dominum nostrum Iesum Christum omnes illuminare credentes spiritu suo ac verbo, abstergereq; omnes cordis tenebras à cacodæmone & à mundo & à nostra carne offusas. Rursus testatur Ioannes

Cap. 10. Christus pastor bonus.

Christum esse bonum illum pastorem, qui vitam suam impēdat pro salute ouium, quas interim & eximie diligat & fideliter pascat & accuratè custodiat, ita vt eas nemo ex eius manibus rapere posit, neq; quicquam rerum ad salutem necessariarum eis desit. Oues porrò diligere vicissim pastorem hunc suum, nouisse vocem eius, & audire solam, alienorum nō audire.

Christus ostium.

Christum hunc vnicum esse ostium per quod pateat ingressus in ouile, in ipsam inquam ecclesiam & vitam æternam. Eos quoque qui non ingrediantur per vnicam illam ianuam, sed aliunde tentent irrumpere, & per alias rationes sibi salutem parare, esse fures & latrones. Tales enim à Christo abalienare eis

suffurari

ſuffurari ſuam gloriam, (qua glorificatur ab his qui credunt ipſum ſolum eſſe vitam, & in alio non eſſe vllam ſalutem) & ſuas ipſorum animas trucidare: quod extra Chriſtum non ſit vera vita ſalusq;.

Quid quod ipſe dominus in euangelio Ioannis dicit, Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me viuet, tametſi moriatur, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Et iterum, Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem, niſi per me. Aperuit enim nobis dominus Ieſus viam in vitam æternam, ſed & dirigit & deducit nos in æternam quietem: ſicut ipſe iterum teſtatur & ait, Abeo vobis paratum locum, nimirum habitationis, & redibo ad vos, & aſſumam vos ad meipſum, vt ibi vos ſitis, vbi ego ſum.

Cap. 11. Chriſtus reſurrectio.

Cap. 14. Chriſtus uia, ueritas & uita.

Denuò autem teſtificatur Ioannes & dicit, Chriſtum veram eſſe vitem, nos verò palmites, per fidem inſertos in vitem Chriſtum: inde nos attrahere fructificandi vim ſuccumq; & proferre varij generis bona opera. Dominum enim promiſiſſe perpetuam in ſuis fidelibus operationē. Tametſi enim diſcedat corpore ſuo & corporali præſentia amplius in mundo vel in terris non ſit futurus, ipſum tamen non deſerturum nos tanquam pupillos, ſed miſſurum & inſerturum cordibus noſtris

Cap. 15. Chriſtus uitis uera.

Cap. 16.

ſuum paracletum ſanctum ſpiritum, qui conſoletur, roboret, doceat, & in omnẽ veritatem ducat. Pręterea promiſiſſe Dominum, patrem nobis clementer largiturum quæcunque in
Cap. 17. nomine Chriſti poſtulauerimus. Quinimo ipſum filium pro nobis patrem alloquutum dixiſſe, Non pro apoſtolis rogo tantum, ſed & pro omnibus qui crediturí ſunt per eorum ſermonem in me. Pater, quos dediſti mihi volo, vt vbi ſum ego & illi ſint mecum & videant gloriam meam, &c.

Non arbitror à quoquam mortalium clariora, firmiora, euidentioraq́; proferri, aut etiam requiri poſſe teſtimonia, de eo quod in ſolo Chriſto Dei & hominis filio data ſit nobis omnis plenitudo, & quod per ſolum Chriſtum vel in ſolo eius nomine fideles pleniſsimè iuſtificentur & perficiantur. Quæ ſi quis inuertere aut floccifacere præſumpſerit, non video quid cum tali agas quàm vt iubeas miſerum eſſe libenter.

Chriſtum Ieſum ita uelle per fidem recipi à nobis, ut contenti eius ſolius ſalute, utpote qui unus omnibus ad ſalutem ſufficit credentibus, nihil ipſi adiungamus penitus.

CAP. VII.

Confitẽtur multi ore Chriſtum factis negãt

QVotquot verò audiunt aut legunt ea quæ hactenus commemorauimus de

de Christo Iesu vnica totius orbis salute plenissima, excipiunt sanè vocibus gratulantibus, ac dicunt, ista se credere firmiter, & ita se credidisse semper, nec arbitrari quenquam esse fidelium, qui illa non agnoscat & fateatur.

Cæterum si quis interim non tantum audiat, quid loquantur hi homines, sed obseruet etiam quid faciant, deprehendet mox eos palàm abnegare factis, quæ confessi fuerant verbis. Verbis quidem confitentur manifestè se vni Christo plenam attribuere salutem, factis autem declarant se salutem non in vno soloq; quærere Christo, sed magis in suis operibus, atque meritis, in meritis item suffragijs vel intercessione cultuq; diuorum, sed & in multiplicibus traditionibus, decretis, ordinationibus & ritibus ecclesiæ Romanæ, quorum nullus est modus, finis nullus.

Error autem hic turpissimus in his potissimum versatur. Principio enim ingenium & vis veræ fidei, non ita vt decebat obseruatur ab omnibus. Etenim vbicunque est fides vera atq; syncera in Christum, ibi fidelis animus nihil salutis quærit extra Christum, quinimo in Christo & per Christum ita est exatiatus, vt post Christum plane nihil desideret. Proinde si quis salutem adhuc quærit in creaturis, in operibus in decretis & ritibus hominum, il

Erroris fontes.

lam ſanè in Chriſto neque vnquam ſenſit,neque aſſequutus eſt, nunquam denique ſatiatus eſt. Si enim perſenſiſſet ac ſatiatus eſſet, certe tranquillo animo exultaret in ſolo Chriſto, nec poſſet alicubi quicquam quærere ſalutis, quam plenè percepiſſet poſsideretque in Chriſto. Manifeſtum eſt itaque iſtos vera fide adhuc deſtitui. Pro qua ſupplicandum eſt Domino, vt per ipſam omne ſalutis noſtræ præſidium, in ſolo Dei filio collocemus ſyncere abſque vlla mixtura.

Deinde non obſeruatur à pleriſque veram Dei per Chriſtum inuocationem & cultum minime ferre creaturarum inuocationem & cultum: quemadmodum Paulus negat gratiam poſſe conſiſtere cum opere. Quod ſi per gratiam, inquit, ſaluamur, iam non per opera. Nam magnus ille propheta Dei Helias obiurgans ſeueriter populum Iſraelis, qui vnà & Deo & Baali inſeruire voluit & ſacrificare, dixit, Quouſq; claudicatis vtroque pede? (nos diceremus, Quouſque portabitis vtroq; humero?) Si dominus eſt Deus, ſequimini illũ, Si Baal eſt Deus, ſequimini ipſum. Id quod perinde ſonat, ac ſi dixiſſet, Nõ vult Deus quenquam, quiſquis is ſit, vnà ſecum coli, ſed ſolus vult adorari, ſolus inuocari ſoluſq; coli ab hominibus. Deſerite ergo & conſpuite Baal. Satis eſt

Rom.11.

3.Reg.18.

tis eſt vobis Deus noſter.

Interrogat S. Auguſtinus de Conſenſu euangel.lib.1.cap.18. Qui factum ſit,quod cum Romani cultum omnium deorum ab omnibus gentibus acceperint, nunquam tamen legátur cultum Dei Hebræorum vel Iudæorũ recepiſſe: ac reſpondet,Romanos intellexiſſe, vel ex Socratis ſententia, quemlibet Deum eo modo eſſe colendum, quem ipſe præſcripſit aut exegit. Niſi enim hoc fiat,hominem non Deum colere,ſed quemlibet id magis colere,quod ipſe ſibi finxit. Voluiſſe autẽ Deum Iſraelis ſe ſolum coli, noluiſſe vt quiſquam cum ipſo coleretur, præterea noluiſſe eum alia ratione, & alio modo coli,quam ipſe populo ſuo præſcripſerat, Hoc ipſum cum etiam ſcirent Romani, intelligerentque omnes ſibi Deos deſerendos eſſe, quo rite ſolum Deum Iſraelis colerent, noluiſſe Deorum ſuorum ſacra abijcere, & ſolum Deum Iſraelis venerari, eaq; de cauſa nunquam quicquam cultus Dei veri recepiſſe. Atque vtinam hodie quoque plures euangelium non alia magis cauſa repudiarent quàm quod cernunt Chriſtum non ferre ea quæ homines ei obtrudũt, & eos qui vere recipiunt euangelium, à ſolo pendere Chriſto, in ipſum ſolum reſpicere, & formam cultus Dei repetere ex euangelio, aſper

Deus ſolus uult coli ſine cõſorte, ſecundum uerbũ ſuũ.

nari verò omnia quæ huius ex ſemetipſa con finxit humana ſapientia.

Erroribus circũagun tur qui non à ſolo Chri ſto pēdent.

Iſaias cap. 8. in hunc modum concionatur, Si non dixerint iuxta verbum hoc (nimirum iuxta verbum Dei) non erit eis lux matutina. Et oberrabunt in terra perplexi & famelici. Poſtquam autem eſurierint, excandeſcent, & regi ſuo (patrono nimirum ac medio ſalutis quod ſibi delegerunt) maledicent. Et ſurſum ac deorſum aſpicient, ſed vbique ſe ingeret caligo tenebræ atque anguſtia. Certiſsimum eſt enim deſtitutum fide in Chriſtum carere lumine & vita, tranquillitate denique animi vel pace. Nam tametſi hic multo labore varijs ſeſe ſalutis exerceat medijs, ne hac tamen ratione ad ſalutem animiq; tranquillitatem pertingit. Hæret enim miſer etiamnum in caligine, ideoque remanet in ipſo animi anguſtia, quæ non tollitur, niſi quis Chriſtum ſola fide ſyncera amplectatur.

Omnibus alijs relictis ſolũ apprehendere Chriſtum.

Proinde cum in ſolo Dei filio Ieſu Chriſto ſit lux & vita, conſcientiarum tranquillitas fiduciaque & conſolatio, vera denique ſalus & ſalutis plenitudo, cumq; Deus nolit Chriſto ſuo coniungi quicquã, ex quo etiam ſalus ſperetur, conſultiſsimè planè electi Chriſti apoſtoli nihil penitus Chriſto coniunxerunt in doctrina ſalutis, ſed omiſsis medijs ad ſalutẽ

paran-

parandam omnibus,ſolum Chriſtũ prædicarunt per euangelium. Notiſsima eſt enim illa præclara ſancti apoſtoli Pauli ſententia, Chri- 1.Cor. 1,2.
ſtus Ieſus factus eſt nobis à Deo ſapientia,iuſtitia,ſanctificatioq; &redemptio,vt ſicut ſcriptum eſt, Qui gloriatur in domino glorietur. Proinde cum venirem ad vos,non quicquam ad cognoſcendum delegi inter vos niſi Ieſum Chriſtum eumque crucifixum. Et iterum,A Galat. 6.
me verò abſit,gloriari,niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. Idem apoſtolus ea quæ Philip. 3.
aliquando vt præſtantiſsima & meritoria, vt vocant,vitæ æternæ æſtimauit, collata tandẽ cum Chriſto penitus contempſit,ac faſſus eſt ea re ſe peccaſſe et ſalutem veram in ſolo Chriſto inueniri. Ad Philipp. enim,Sed quæ mihi erát lucra(inquit) ea duxi propter Chriſtum damnum eſſe. Quinetiam certe duco omnia damnum eſſe propter eminentiam cognitionis Ieſu Chriſti domini mei, propter quem omnia iſta pro damnis duxi & duco pro excrementis, vt Chriſtum lucrifaciam: & comperiar in eo, nimirum qui non habeam meam iuſtitiam, nempe quæ eſt ex lege, ſed eam quæ eſt per fidem Chriſti,id eſt iuſtitiam eam quæ eſt ex Deo per fidẽ. Quod ſi omnes qui Chriſti nomine gloriantur, Paulum apoſtolum imitantes,& ipſi ſpernerent omnia alia media,

ritus atq; decreta,ab hominibus inuenta,quæ etsi aliquando magni fecerint, nunc tamen pro damno æstimarét vt vno Christo vere & plenè fruantur, vere profectò essent id quod videri volunt, Christiani, & pace fruerentur abundãtiore. Nunc verò cùm hoc facere contemnant, mirum sanè non est tot dissidia & concertationes vigere in ecclesia.

An quod salus in solo Christo est, inanis sit oratio, prędicatio, &c.

Sed obijcis, Si Christus vnus omnia facit & illi plene perfecti sunt qui Christum fide possident, solusq; ille ad salutem sufficit, ergo ne ea quoque, quæ ipse Christus instituit & vsurpauit inutilia ad salutem videbuntur? Ergò ne posthac nihil opus erit ecclesiæ annunciatione verbi Dei, cœtibus sacris, precibus, administratione & vsu sacramentorum exercitioque bonorum operum? Respondeo, Quæ modò cõmemorata sunt inseruiũt plantationi cultuique fidei, per quam in Christo perficiuntur credentes: at in ijs reuera non est salus, sed per ea potius plantatur ac propagatur. Panis reuera confortat & in vita conseruat hominem: ea verò quibus paratur panis non nisi impropriè seruant hominem. His tamen ipsis maximopere opus est. Nisi enim colatur tellus, seratur, colligatur frumentum, trituretur, mola confringatur & pinsatur, panis nõ habetur. Ita & prædicatione verbi Dei & reli-

& reliquis nunc commemoratis opus est in ecclesia. Itaq; manet Christus dominus noster panis ille vitæ, qui solus pascit & vitam dat mundo. Oportet autem prædicari Christum & plantari fidem in cordibus hominum, per euangelium & illuminationem sancti spiritus. Oportet precibus donum fidei illuminationemque sancti spiritus petere, aliaque nobis necessaria à Deo postulare, & pro acceptis beneficijs gratias agere. Oportet & sacramenta à Christo nobis instituta, religiose vsurpare in ecclesia. Sunt enim sacramenta symbola ac testimonia nostræ per Christum redemptionis, quibus totum salutis negotium in Christo perfectum, oculis fidei contemplandum exponitur. Sacramenta illa obsignationes vel sigilla quædam sunt nostræ salutis, quod per Christum abluti à peccatis, corpore & sangui ne eius alamur ad vitam æternam. Admonent illa nos insuper officij nostri & per spiritum sanctum nos excitant ad innocentiam vitæ & ad gratitudinem Deo præstandam beneficen tissimo. Nec ociosa aut sterilis est vera in Christum fides, sed actuosa & fœcunda, proferens omnis generis, secundum euangelium Iesu Christi, bona opera. Inutilia itaque non sunt in ecclesia annunciatio verbi Dei, auscultatio, oratio, vsus sacramentorum & studium

bonorum operum: ſed manet perpetuò tamē Chriſtus ſalus vnica & qui ſolus eſt perfectio omnium fidelium, qui ad fidem per cōmemorata perueniūt media, fidemque in Chriſtum per quem perficiuntur & alunt & exercent, ſoliq; ſemper Chriſto omnem gloriam tribuūt.

Ex quibus omnibus illud iam planiſsimè intelligitur, in controuerſijs eccleſiaſticis & in certaminibus propter res religionis ſuſceptis, non poſſe ſimpliciores in aliud tutius confugere aſylum, quàm ad Chriſtum Ieſum. Hic enim eſt manebitque æternùm lux, vita, conſolatio & requies animarum noſtrarum. Cui gloria.

Omnes controuerſias in Chriſto & doctrina eius definiri feliciterq; componi, ut quiuis norit quid ſentiat de ſcriptura ſancta, de unitate et trinitate Dei CAP. VIII.

In omnibus religionis diſsidijs inueniri certam in Chriſto determinationem.

CONſequentur verò exemplis aliquot clarè & euidenter commonſtrabo, eos qui ſoli innituntur firmo fundamento Chriſto, eius doctrinam duntaxat audiunt, & poſt Chriſtum nihil ad ſalutem aliud deſiderant, in ipſo & doctrina eius habere omnium controuerſiarum exactiſsimum iudicium planiſsimamq; determinationem, vt nemo poſt hac iure queri poſsit ignorare ſe in tanta doctorum concertatione, quid credat & de reli-

gione

gione ſentiat. Non autem omnes ordine re-
cenſebo controuerſias, quod immenſi propè
eſſet laboris, ſed aliquas modò commemora-
bo, vt ex ijs quilibet intelligat, ad eundem mo
dum reliquarum etiam controuerſiarum de-
finitionem perſpicuam in Chriſto & doctri-
na eius nobis exhiberi.

Et quidem contenditur hodie acriter de ſcriptura canonica, an legi ea poſsit & debeat ab hominibus laicis? an omnia ea quæ pertinent ad fidem docendam, & ad omnia quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria tradenda, plenè & clarè contineant atque doceant? Hoc quidem affirmant alij, negant alij, exiſtimantes opus eſſe præterea traditionibus & determinationibus eccleſiæ: & vulgo lectionem librorum canonicorum adeò non prodeſſe, vt ex ea potius hauriant imprudentes opiniones prauas. Cæterum Chriſtus hortatur vniuerſum ſuũ populum ad lectionem ſanctarum ſcripturarum apud Ioã. in cap. 5. Et ciues Berrhœenſes in Actis apoſtolicis ſcrutantur domi priuatim ſcripturas, ac diſpiciunt num in ſcripturis ea quæ Paulus palàm docuerat contineantur. Ita cum diues epulo in tormentis tartari dimiſsionem peteret, donec fratres ſuos admoneret, diligenter cauerent ne & ipſi tãtis mancíparentur tormentis, audit protinus, Habent

De ſcriptura canonica.

Act. 17.

Luc. 16.

legem & prophetas, &c. S. Paulus de hac eadem ſcriptura in 2.ad Timoth. cap. 3. manifeſtiſsimè teſtatur:poſſe eam nos erudire ad ſalutem per fidem in Chriſtum Ieſum, vt integer ſit Dei homo,ad omne bonum opus apparatus. Si quis autem his ſimpliciſsimis planè, nondum expeditus nec plenè inſtitutus ac ſatiatus, mauult adhuc ſcrutari curioſius ampliora,& de his altercari pertinacius, is ſanè queritur iniquiſsimè negotium religionis eſſe perplexum & contentionibus diuulſum. Ipſe enim nodum in ſcirpo quærit, & ſua ſponte litem mouet,qua facile carere poſſet.

De Traditionibus.

De traditionibus autem ſeniorum aut patrum, & conſtitutionibus humanis, quas verbo Dei adiunxerunt & obtruſerunt eccleſiæ, dixit in euangelio ſecundum Marcum dominus,Rectè dixit de vobis hypocritis Iſaias,Populus hic honorat me labijs ſuis, cor autē eorum procul abeſt à me. Fruſtra verò me colunt, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum.Nam omiſſo mandato Dei,tenetis traditionem hominum,&c.Cum autem hanc domini doctrinam phariſæi iniquiſsimo ferrent animo, atque hoc domino indicaretur à diſcipulis, reſpondit dominus,Omittite illos. Sunt enim cæci & duces cæcorum.Si quis autem his ſimpliciſsimis planè,nondum expeditus

Marc.7.

tus

tus nec plene inſtitutus ac ſatiatus, &c. vt ſupra.

Multi inquirunt, diſputant & altercantur de Deo, quis & qualis, & quid de ipſo ſentiendum, & credendum ſit. Hi omnia Dei myſteria perſcrutari (quod tamen nemo præſumeret mortalium) conantur, & ſua lance ſingula exactiſsimè expendere. Cæterùm myſterium hoc in Christo domino, quantum nobis ſatis eſt, aperitur. Etenim Deus ſummum hoc myſterium quàm ſimpliciſsimè & ſignificantiſsimè pro captu humano, quo eſſet intellectu facillimũ exponit, dum filium ſuũ vnigenitum incarnari voluit, nimirum, vt ſcire deſiderátes quis & qualis ſit Deus & quid de ipſo ſentiendum ſit & credendum, denique quid de ipſo ſperandum, animi oculos rectà in ſolum Chriſtum Dei filium intenderemus diligenterque obſeruaremus, quæ ab ipſo audimus, & in ipſo cernimus atque inuenimus. Inuenimus autem in eo ſummam ſapientiam, potentiam omnium maximam, omnemq; perfectionem omnium bonorum, gratiarum atq; donorum, adde & omniũ exactiſsimá benignitatem cũ bonitate immenſa, erga miſerum genus mortalium. Scit ille vniuerſa: poteſt omnia. Nec impeditur ille vlla locorum diſtantia, ſiquidé iuuare vult. Vult autem iuuare, imò omnia ea

Quis & qualis deus

benigne vult, quæ homini ſunt vtilia & ad ſalutem eius neceſſaria. Quiſquis aũt hęc intelligit, & iſta in Ieſu Chriſto vnico Dei filio cernit, quid aliud ille de Deo ſentiẽdum colligit, quàm Deũ eſſe æternũ, immenſum, omniſciũ & omnipotens bonum, perfectiſsimũ & inexhauſtum theſaurũ bonorum omniũ tam temporariorũ quàm æternorũ, quæ ille ſua ſponte & liberaliter donat atq; profundit in genus mortalium, & quidem eo modo eaq; menſura quæ ipſi placuerit & nobis neceſſaria viſa fuerit: quando ille nos homines tanquam benignus parens charos diligit liberos.

Ioan. 14. Hanc ob rem quando Philippus in euangelio ſecundũ Ioan. ad Dominũ diceret, Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Excepit hoc Dominus & reſpõdit: Tanto tẽpore vobiſcũ ſum & non cognouiſti me? Philippe, qui vidit me vidit patrẽ, & quomodo dicis tu, oſtende nobis patrẽ? Hoc aũt dixit Dominus non quod ſentiret patrẽ & filium indiſtinctas eſſe perſonas, aut patrem etiam eſſe incarnatum, ſed quod oſtendere vellet homines in Chriſto intelligere quis & qualis ſit Deus, quodq; patris & filij eſſentia & diuinitas eadẽ vel æqualis ſit eſſentia & diuinitas, & quod pater per filium operetur opera ex quibus colligamus æqualitatem ipſorum, cognoſcamuſq;

quæ

quæ debét & poſſunt de Deo cognoſci. Vnde ipſe mox apud Ioá. ſubiungit, Pater qui in me manet ipſe facit opera. Credite mihi quod ego in patre ſim, & pater in me. Alioqui propter ipſa facta credite mihi, &c. Si quis autem de his ſimplicisſimis planè, &c. vt ſupra.

Et dum nonnulli hic altercari incipiunt de ipſa adoranda trinitate, ac dicunt non poſſe demonſtrari verbo Dei tres eſſe in trinitate perſonas diſtinctas. Quod ſi verò tres ſint diſtinctæ perſonæ, vt nulla ex his id ſit quod eſt altera, neceſſario conſequi tres quoque eſſe deos diſtinctos, dirimunt hanc pugnam & totum hoc negotium illuſtrant ipſemet pater & filius. Dum enim Chriſtus in Iordane baptizatus aſcenderet ex baptiſmo, ſuperne cœli aperti ſunt, & quàm ſignificantisſimè explicatum eſt nobis myſterium hoc, oſtenſæque ſunt perſonæ diſtinctæ, in vna indiuiſa diuina eſſentia. Pater enim de cœlo ſuper filio ſuo Ieſu Chriſto teſtificatur & ait, Hic eſt filius meus dilectus. Vbi ſanè quàm apertisſimè cernimus diſtinctas perſonas duas. Adhæc deſcendit etiam ſpiritus ſanctus ſuper Dominum in ſpecie columbæ. Ergo dum Dominus noſter poſtea diſcipulos baptizare iuberet, dixit, Baptizantes eos, in nomen patris & filij & ſpiritus ſancti. Atqui dixit ad

De ſancta trinitate & unitate Dei.

Math. 3.

Math. 28.

1.Cor.1. Corinth.apoſtolus, Non eſtis baptizati in vllos homines, in nomine Petri aut Pauli,&c. Præterea declarat ipſe Dominus doctrinam illam ſuam de trinitate, oſtendens quod ideò non ſint tres dij, ſed vnus tantum Deus. Repetit enim apud Marcum in 12. ex lege præcipuum Dei mandatum, & ait, Audi Iſrael Dominus Deus tuus Deus vnus eſt. Et iterum Ioã.17. Hæc eſt aũt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Congruit cum his & doctrina apoſtolica, dicente Paulo, Etiamſi ſint qui dicantur dij & in cœlo & in terra (ſicut ſunt dij multi & domini multi, nobis tamen vnus eſt Deus pater ille, à quo omnia & nos in ipſo, & vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia & nos per ipſum. 1. Corinth. 8. Si quis autem his ſimpliciſsimis plane, &c. vt ſupra.

De uera diuinitate filij Dei.

Iam quod quidam in dubium vocant verã Chriſti diuinitatẽ, quaſi pater ei nomen duntaxat non eſſentiam communicauerit, itaq; patre minor ſit, qui aliquid modo diuinitatis ei impartitus ſit, impia hac ſua opinione manifeſtè ſeſe Iudæis & Turcis coniungunt. At validiſsimè reuincuntur ab ipſis Chriſti apoſtolis, & ipſomet Domino Ieſu, qui apud Ioan.8. Ioannem palàm dicit, Amen amẽ dico vobis, antequã Abraham eſſet, ego ſum. Dixit idem

ad di-

ad discipulos suos, Creditis in Deum, & in me credite. Ioannes quoque ait, In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et iterum, Scimus quod filius Dei venit, hic est Deus verus & vita æterna. ita testatur S. Paulus ad Rom. 9. Christus est ex patribus secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus in secula. In quo testimonio diserte exprimitur utraque in Christo natura tam humana quàm diuina: Sicut & ipse Dominus colligit ex Psal. Dauidis 110. apud Matthæum in cap. 22. Si quis autem his simplicissimis planè, &c. ut suprà.

Ioan 14. Ioan. 1. 1. Ioan. 5.

De uera Christi humanitate.

Sed & de humana Christi natura altercantur nonnulli contendentes filium Dei non passibile & infirmitatibus obnoxium corpus, sed impassibile & ab omni infirmitate alienũ corpus suscepisse: item à morte & clarificatione deificatum & veluti in spiritum conuersum, humanitatis naturam deposuisse. Atqui testatur contra fœdissimum hunc errorem sacrosanctum euangelium & dicit, Verbum caro factum est, & conceptum quidem in vtero intemeratæ virginis, & ex eadem, ut matre verissima, prognatum. Est enim semen Abrahæ & Dauidis. Similis per omnia factus fratrib. suis, excepto peccato. Ideoq; ipsemet dixit in euangelio, Tristis est anima mea usq;

Ioan. 1. Lucæ 2. Hebr. 2. Matth. 26.

ad mortē. Proinde atteſtatur euangeliū quod verè mortuus ſit in cruce, tertia aūt die reſurrexerit ex mortuis, retinueritq; verū ſuū corpus, qđ neq; deficatū ſit neq; cōuerſum in ſpiritū: ideoq; ſemetipſum exhibuerit cōtrectandum ſuis diſcipulis, aſcenderit quoq; viſibili corpore in cœlū, inſpicientibus hoc diſcipulis ſuis, cōſederitq; in dextera patris, verus Deus & verus homo, vnus Chriſtus, manens in duabus diſtinctis naturis & in vna inſeparabili perſona. Si quis autem, &c. vt ſuprà.

Quomodo controuerſiæ de adorando inuocando & colendo uno Deo, *de imaginibus & ſanctorum reliquijs, de oratione & interceßione, in Chriſto & per doctrinam eius definiantur & commode dirimantur.*

CAPVT IX.

De adorando.

DE adoratione Chriſtus dominus adeò perſpicuè eccleſiam ſuam inſtituit, vt nemo de ea vllā niſi ſumma cū iniuria contentionē inſtituat. Cum enim adorari peteret ſatā à domino, reſpōdit hic, Abi ſatana. Scriptū eſt enim, Dominū Deū tuū adorabis & illi ſoli ſeruies. Et iterū dicit in euangel. dominus, Veri adoratores adorant patrē in ſpiritu & veritate. Nam & pater tales requirit qui ipſum adorent. Nam Deus eſt ſpiritus, & eos qui adorant

Matth. 4.

Ioan. 4.

dorant eum, ſpiritu & veritate ipſum adorare oportet. Quotquot aũt Deũ ad hũc modũ adorant, non poſſunt ſanè aliũ adorare quàm Deũ: nec diſputant an crux Chriſti, an deipara virgo, an angeli & diui ſint adorandi, cũ certò ſciãt adorationẽ nemini cõpetere niſi Deo ſoli: præterea ipſos diuos repudiare à ſe adorationẽ nolleq; adorari ab hominibus. Cecidit quondã ad angeli pedes S. Ioãnes, adoraturus angelũ, non vt Deum, aut ꝓ Deo, ſed vnà cũ Deo & tanquã eximiũ multóq; ſe præſtantiorẽ Dei ſeruũ. Sed angelus increpuit ipſum, ac dixit, Vide ne hoc feceris. Cõſeruus tuus ſum & fratrum tuorum. Deum adora. Apoc. 14. 19. 22. Si quis aũt his ſimplicisſimis, &c. ut ſuprà.

Ad eũdẽ modũ dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuos q̃ expeditisſime inſtituit q̀d ſentiãt de inuocatione & intercesſione. Dũ enim in carne verſaretur nobiſcũ in terra, non legitur vnquã inuocaſſe quenq̃, niſi ſolũ Deũ patrẽ, neq; alium inuocandũ docuiſſe. Extat diſerta hæc Dei lex in hæc verba pronunciata, Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & ſic honorabis me. Pſalm. 50. Proinde cum dominus noſter nos doceret in euangelio orare, dixit, Cum orare volueritis, dicite Pater noſter qui es in cœlis, & cæt. Non poteſt illa oratio vlli creaturæ, neque in cœlo neque

De inuocãdo orãdo et interceſſore.

Matth. 6.

in terra, accommodari aut communicari. Hortatur præterea fideles vt ſine intermiſsione orent; & alius pro alio, dum hic viuitur, oret. Pollicetur quoque ſe exauditurum orantes; id quod apud Lucam extat in capite 11. & 18. Hæc qui à Chriſto domino didicerunt, diſputare deſinunt, An orandum ſit? An accepta & gratia ſit hominis oratio Deo? An proſit etiam hominibus? An preces etiam diuis offerendæ ſint, et an inuocandi diui? Intelligunt enim preces ſoli Deo eſſe offerendas, & veriſsima & perfectiſsima eſſe, quæ dominus docuit de inuocatione. Si qui verò nihilominus diſputare & contendere cupiunt, inſaniant licet cum ratione libenter, quandoquidem ſanis ſermonibus Ieſu Chriſti non acquieſcunt.

Solus Chriſtus interceſſor apud patrem.

Porrò occlamantibus, Cùm peccatores ſimus, vetat nos religio illotis pedibus irrumpere in conſpectum maieſtatis Dei, iubetque modeſtia patronum vel interceſſorem ac aduocatum deligere, qui negotium noſtrũ Deo commendet. His inquam ſemetipſum ſtatuit mediatorem interceſſorem & aduocatum Dominus, & ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Item, Amen amen dico vobis quæcunque petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Quam-

Matth. 11. Ioan. 16.

obrem

obrem & Ioannes apoſtolus nos eadem docuit & dixit, Filioli, ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed pro peccatis totius mundi. Quis hinc non intelligat & colligat nos apud patrem habere mediatorem & interceſſorem? Quid verò requiras in Chriſto domino? Si autem nihil requiris, & agnoſcis inſtructiſsimum eſſe ad hoc officium, cur non ſolius interceſsione omnium perfectiſsima contentus, ipſo ſolo interceſſore apud patrem vteris? Aut quem tu putas patri magis acceptum gratumq́; eſſe, quàm hunc eius vnigenitũ filium? Si quis autem ſe his abſolutiſsimis doceri non ſuſtinet, ſed pergit etiam alia quærere, quærat ibi licet vbi profectò nihil inueniat. Orandus erat pro hoc dominus, vt miſer planè Chriſtum quoq; agnoſcat & in ipſo requiem inueniat. 1. Ioan. 2.

Cum autem dominus noſter Ieſus Chriſtus in templo ſuo ferre noluit menſas nummulariorum & cathedras vendẽtium columbas, ſed his euerſis, ementes præterea & vendentes flagello ex templo eiecit atque proturbauit, ac dixit, Auferte illa hinc, & ne feceritis domum patris mei domum mercatus: cui obſecro veriſimile videatur quòd idola patien- De imaginum uſu in templo. Ioan. 2. & Matth. 21.

ter tulisset, si prostare cōperisset in tēplo? Exturbasset & illa proculdubio ex templo atq; dixisset, Auferte illa hinc, & ne feceritis domū patris meæ domū idolorū. Ipse enim palàm testatur, se non venisse ad soluendū legē & prophetas, sed ad implendū. Quis aūt nesciat & legem & prophetas districtè prohibere idola, hoc est, ne vel Deus ipse vel vlla creatura vlla exprimatur imagine atq; colatur ab hominibus? Quin potius vbi illa prostant, tollere iubet. Quod dicitur retinendas esse imagines vt imperitos doceant & rerum diuinarum admoneant, ineptissime dicitur, quod dominus ecclesię suæ dederit verbum sacramenta & alia quibus populum suum erudit, & quidem longè euidentius quàm vllis fieri possit picturis. Negat apostolus conuenire inter se templo Dei & idolis, 2. Cor. 6.

Matth. 5.

Exod. 20. Deut. 4. Isaiæ 40. & 44.

De Reliquijs.

Nihil porrò reliquit nobis Dominus noster Iesus Christus vel de suo ipsius corpore, vel tantillū rerum corporearum, quod reliquiarum loco extolleremus nedū veneraremur. Neq; harum rerum quicquā commendarūt nobis sancti Christi apostoli, qui tamen omnia nobis tradiderunt, quæ ad salutem nostrā & absolutum Dei cultum pertinere vidētur. Spiritus Dei, verbum veritatis, oratio fideliū, sancta quoq; Christi sacramenta, opera chari-

tatis

tis & innocentiæ,patientia in cruce, ac perseuerans spes,reuera sunt sacrosanctæ reliquiæ Christi. Et qui ita sentit, non ideò vilipendit sanctos Dei in cœlis cum Christo agentes, quod ossa vel reliquias eorũ non exponit et veneratur. Nõ enim hoc ipsi fieri voluerũt. Fides potius eorũ & virtutes variȩ nobis sunt per imitationẽ sanctam exprimẽdæ, de eis honorificè sentiẽdum, neq; ferendũ vt quisquã de amicis Christi maligne loquatur.

Iam verò cum dominus apertissimè dixerit, Dominũ Deum tuũ solum coles, (en solũ inquit dominum Deum tuũ coles,) uelit aũt Deus se coli spiritu & veritate: cuius rei ipse etiam Paulus meminit Rom.1.Phi.3. nullo negotio ex his colligit fidelis, nolle Deum coli, auro, argento, gemmis, ac rebus preciosis: velle potius vt hæc contemnamus & conculcemus, humiles & modesti simus, ipsiq; seruiamus in fide, spe, & charitate. Et quia dominus pauperes nobis cõmẽdauit in euãgelio, quib. impartiri iubet, qđ ipsi velimus impẽdere, fideles benefaciẽdo ꝓximis & pauperib. imprimis, seruiunt Deo: sua itẽ corpora hostiam viuam, & spiritualẽ Deo offerunt per patientiã & sanctimoniã. Offerũt deniq; Deo ꝑces ꝑpetuas & gratiarũ actiones ꝑ Christũ. Et hũc dei cultũ verũ docuerũt nos proph. & apo. Isa.c.1.

De colẽdo Deo.

Marci 14.

Ieremias in 7. Micheas in 6. Zacharias in 7. & 8. apostolus quoq; Petrus in 1. Pet. 2. ca. & apostolus Paulus in 12. ad Roman. & ad Hebr. 12. ca. Si quis verò spretis his omnibus, mauult contendere, & imagines, reliquiasq; coaceruare, sumptus item conduplicare, aurum, argentum, gemmas & res preciosas offerre in templum, is desinat posthac conqueri de impensis molestijsq; nimijs, quibus ipse sese sua spōte & stultè onerat, à Deo autem non oneratur Quinimo expendat apud se quid illud sit, quod per prophetā clamat dominus, Quis requisiuit hęc de manibus vestris? Et frustra colunt me homines humanis constitutionibus. Expendant hic quoq;, qui sic pergunt in suo instituto pertinaciter quo iure quaue iniuria persequantur ferro & igne eos, qui simplicem domini Dei doctrinam & exemplum Christi sequentes hæresibus & superstitionibus explosis semel omnibus, Deo religiosè seruiunt. Inspiciant saltem Lactantij veteris scriptoris libros, & discant ex his, an in primitiua ecclesia fuerit imaginum vllus in templis vsus, an verò auro, argento, & rebus pretiosis coluerint Deum, aut talem cultum approbauerint.

Isaiæ 66.

Matth. 15.

Quomodo controuersiæ de electione prædestinatione & prouidentia Dei, *de corruptiōe generis humani, de pec*

cato

cato, de libero arbitrio & merito hominis in Christo & per doctrinam eius definian tur & commodè dirimantur. CAP. X.

DIsputatur hodie à multis & disceptatũ est olim quoq;, an certus sit destinatus electorum à Deo ad vitam æterná numerus, an citra omnem delectum omnes ad vitá æter nam electi sint homines? Christus verò domi nus noster simplicissimè discipulis suis, inter quos tũ quoq; Iudas erat, dixisse legitur, Non loquor de vobis omnib. scio quos elegerim. Sed & apostolus Paulus, Solidum, inquit, fun damentum Dei stat, habens sigillum hoc, No uit dominus qui sint sui, &c. Rursus verò di- cit in Euangelio dominus, Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis: sicut dixeram vobis, Oues meæ vocem meam audiunt, &c. Ioan. 10. Nihil ergo certius est, quàm esse ele- ctionem apud Deum, eamq; soli Deo esse co- gnitam, & quod electi saluantur, neque quis- quam eos rapiat ex manibus Dei.

De æterna Dei electione.

Ioan. 13.

2. Timot. 2

Proinde cum nonnulli curiosius de nume- ro electorum perscrutantur, & de hoc negotio ita loquuntur ac docent, vt simpliciores de sa- lute sua addubitare incipiant, ac querantur i- gnorare se porrò electi sint an reprobi, mede- tur huic morbo fideliter in euangelio domi- nus. Cum enim quidam curiosius interroga-

Multi ne an pauci electi.

ret,& diceret ad dominũ, Domine num pauci sunt qui seruentur? respondit illi dominus & dixit, Contẽdite intrare per angustam portam, &c. Sciebat quidem dominus tenebatq; exactissimè saluandorum numerum, non tamen respondebat hunc vel copiosum esse vel exiguum, sed potius dicit, Contendite intrare per angustam portam: docẽs vtiq; non esse nobis solicitè quærendum de numero electorum vel saluandorum, sed huc magis omnes nostras vires, Dei inuocato auxilio, intendendas, vt obsequentes doctrinæ salutari contendamus ingredi in vitá æternam. Id cùm à quouis nostrum requirat, & per euangeliũ omnes nos, nullo excluso, ad se vocet benignissimè, iubeatq; nos auscultare verbo, orare & petere fidem & gratiam Dei, deniq; abundantissimè nobis offerat & polliceatur omnia ad salutẽ & vitá beatá necessariá, imprimis verò quod morte sua credentes seruare velit, obsequendum sanè est singulis nobis salutari eius consilio, & audiendum verbum Dei, orandum pro fide, bene sperandum de Dei gratia per Christum nobis oblata, firmiterq; credendum nos esse de ouibus eius. Agendæ præterea sunt gratiæ Deo, cùm in mentibus nostris tractum & consolationem eius persentiscimus.

De prædestinatione & prouidẽtia Dei.

An verò vniuersæ res nostræ diuina gubernen-

bernentur prouidentia, ac in manu eius ſit vi
ta & mors hominis, ipſe rurſus in euangelio
dominus noſter nos erudit & ait, Veſtri eti-
am capilli capitis omnes numerati ſunt. Itẽ, Math. 15 & 16.
Non potes tu vnum capitis tui capillum al-
bũ aut nigrũ facere. Et iterũ, Nõne duo paſſer
culi (inuiſum auium genus) aſſe væneunt, &
vnus ex eis non cadit in terram ſine patre ve-
ſtro? Et vos quidem multis paſſeribus præſta
tis. Quibus ſanè omnibus docet omnes homi
nes diuinæ ſe prouidentiæ tutò credere com-
mittereq; debere: quòd cura ſit illi de nobis. I-
ta enim docuit nos Dauid quoq; dicens, De- Pſalmo 37.
uolue ſuper dominum viam tuam, id eſt, cõ-
mitte vitæ tuæ inſtitutum domino, & ſpera
in eum, & ipſe faciet. Quo & ſanctus Petrus 1. Petri 5.
reſpexit & dixit, Omnem curam veſtram
conijcite in illum. Nam illi cura eſt de vobis,
& cætera.

Interim verò cauendum eſt modis omni-
bus ne quis ſuæ ignauiæ diuinam prætexat
prouidentiam, aut media à Deo inſtituta aſ-
pernetur, quibus in perficiendo opere vtitur,
ac dicat, quod multi ſolent, Si dominus vult
hoc fieri, ac ſua prædeſtinatione ita prædefini
uit, non poterit non fieri, neque vllis precibus
aut medijs impediri. Chriſtus enim dominus
qui & diuinam prędeſtinationem agnoſcebat

& se totum commiserat diuinæ curæ & prouidentiæ, nihilominus nunquam precari desijt, sæpissimè quoq; hostiũ insidias fuga matura declinauit, hostesq; fefellit; deniq; in omni vita sua accommodauit se medijs non iniquis: atq; eo modo nos docuit eadẽ non aspernari. Si verò consilium hoc domini spreuerimus, & maluerimus curiosas de prædestinatione & prouidentia Dei quæstiones nectere, haud dubiè implicabimus non extricabimus nos, nullũq; hinc salutarẽ fructũ percipiemus.

Multum præterea disputatur de Originali peccato & corruptione per Adamum generis humani: sed breuissimis illa omnia absoluens seruator noster Christus, Nicodemo & cuilibet nostrum dicit, Nisi quis renatus fuerit denuo, & ex supernis, non poterit videre regnum Dei. Quibus verbis omnes hominis vires, vt inefficaces ad consequendum regnũ Dei reijcit. Nam si prima ex carne natiuitas consequi queat regnum Dei, quid obsecro opus erit regeneratione secunda, id est, spirituali aut cœlesti? Omne quod mundum vel purgatum est nulla profectò putatione aut ablutione eget. Nunc verò mandauit dominus in lege veteri masculos circuncidere, in nouo præcepit baptisare, id est abluere. Vnde consequens est, genus humanum ab ipsa prima

De peccato

Ioan. 3.

ex Adam

ex Adá ſui origine & ex ipſa natiuitate,ex vtero matris,corruptũ eſſe & impurũ. Quo nomine Deus iure nobis iraſcitur & nos æternũ perdere poſſet. Eſt itaq; maximoperè neceſſaria Dei gratia & purgatio generi humano, alioqui perdito. Qua de re fuſius agit apoſtolus ad Rom.cap.5.

De libero hominis arbitrio.

Et cùm hæc ad hunc modum & certiſsimè ita ſe habeant,fruſtra ſanè & ineptiſsimè multis contenditur à multis de libero hominis arbitrio. Nam & alibi dicit in euangelio dominus,Amen dico vobis,quòd omnis qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati.Cęterum omnes homines concipiuntur & naſcuntur in peccatis,indigentq; cœleſti regeneratione.Proinde omnes ſerui ſumus peccati:& nulla quidẽ neceſsitate adacti, ſed noſtra ſponte peccamus ex noſtro ingenio, & malum pro noſtra volũtate mala perficimus:niſi dominus ſuo iudicio ſuaq; potentia(quod ſæpè fit)malum hoc impediat aut tollat.Ad bonum verò perficiendũ ſerui peccati minimè ſunt liberi,ſed oportet eos liberari aut libertati donari, ex gratia per Chriſtum Ieſum,ut bonum intelligãt velint atque poſsint & in eo perſeuerẽt. Quemadmodum rurſus in euangelio teſtatur dominus,& ait, Nemo venit ad me,niſi pater meus traxerit eum.Et iterum, Sine me nihil poté- Ioannis 6. Ioan.15.

ſtis facere. Teſtatur de his etiam Paulus & ait, Non ſumus idonei ex nobiſipſis ad cogi-
2. Cor. 3. tandum quicquam, velut ex nobiſipſis, ſed
Philip.1.2. quod idonei ſumus id ex Deo eſt. Et iterum, Vobis datum eſt in Chriſti negotio non ſolum in eum credere, ſed etiam pro eo affligi. Item, Deus eſt qui efficit in vobis, & vt velitis & vt efficiatis, pro gratuita ſua beneuolentia.

Libertas Chriſtiana. Vbi tamen & hoc conſiderandum venit, quod tametſi fideles per Chriſtum libertate donentur, vt bonum quod faciunt liberè faciant, remanere tamen in ipſorum corporibus infirmitatem agnatá & reliquias peccati: quo fit, ſicuti apoſtolus ad Romanos capite ſeptimo & Galatas 5. teſtatur, vt fideles non faciant quod volunt, ſed quod nolunt perpetrent. Hanc ergo culpam omnes ſanctos per omnem vitam deprecari, ac in finem vſque vitæ ita orare, vt docuit dominus, Et remitte nobis debita noſtra. Iccirco nihil hi qui hoc ſentiunt grande malum, gloriantur de libero arbitrio, ſed potius permanent in humilitate & ſub iugo Chriſti.

De merito. Cùm verò non aliter conſtitutæ ſint res fidelium, quis oro prædicabit coram Deo ſua merita? Dominus in euangelio dicit, Cum feceritis

ceritis omnia quæ dicta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus. Quod facere debuimus, fecimus. Lucæ capite decimoſeptimo. Tametſi verò de mercede loquatur alicubi ſcriptura, multamq́; eius mentionem faciat, certum eſt tamen & mercedem illam quæ datur pijs gratiam eſſe, non meritum. Nam quod Deus peccata noſtra punit, id quidem eſt eius iuſtitiæ & noſtri meriti: quod autem mercedem perſoluit noſtro bono operi, quod ex ipſius gratia facimus, non ex noſtris viribus, hoc quidem non eſt noſtri meriti, ſed illius gratiæ. Proinde nos qui promiſſum præmium à domino accipimus, non debemus gloriari de noſtro merito, ſed magis manentes in humilitate de eius gratia, ſicuti nos docuit apoſtolus in 1. ad Corinthios primo & quarto capit. Idem in eadem epiſtola, Amplius quàm illi omnes laboraui, inquit, non ego tamẽ, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt, 1. Corinthios cap. 15. Si quis autem his ſimplicißimis planè, &c. vt ſuprà. De mercede.

Quomodo controuerſiæ de iuſtificatione per ſolam fidem, & de bonis operib. de pœnitentia uel emendatione uitæ in Chriſto & per doctrinam eius definian

tur & commodè dirimantur.

CAPVT XI.

De iustifica tione.

STupendæ admodum concertationes in ecclesia Dei inter fideles sunt exortæ de iustificatione, id est, de eo, per quid homo peccator consequatur remissionem peccatorum & reputetur vel pronuncietur corá Deo iustus & hæres vitæ æternæ? an hoc fiat per fidem solam, an etiam per bona opera? Multi ex æquo partiũtur inter fidem & opera. Multi hic plus fidei tribuunt, quàm operibus. Multi contra plus operibus hic attribuunt quàm fidei, quibus etiam fidei nomen planè est exosum. Mirum in modum autem perspicuè euidenter & eleganter hoc mysterium exposuit nobis dominus & saluator noster Iesus Christus, qui apud Ioannem in capite tertio ita dicit, Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nam sicut illi qui in deserto infecti erant lethifero veneno, sanitati non restituebantur per vlla opera, sed duntaxat per contuitum vel aspectum ænei serpentis: ita sanè nemo à peccatis suis mundari & iustificari potest vllis operibus, sed sola fide in Christum. Nam dominus noster Iesus Christus contuitum serpentis significanter

Sola fide iustificamur.

expo-

expoſuit per fidem in ipſum. Quid quod idem ipſe mox in verbis conſequentibus tertiùm repetit & expreſsiſsimè pronunciat fide nos in Chriſtum ſeruari.

Apud Ioan. in cap. 6. doctrinam hanc de fide iuſtificante copioſiſsimè exponit. Et cũ domino congruit apoſtolus Paulus, qui & ipſe hanc cauſam tam dilucidè exponit, vt dilucidius à nemine explicari poſſet. Dicit enim ad Epheſ. cap. 2. Ex gratia ſalui facti eſtis, per fidem, & hoc non ex vobiſipſis. Dei donum eſt: non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipſius ſumus factura conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in eis ambularemus. Præterea hoc ipſum iuſtificantis fidei negotium adhuc planius & fuſius explicat idem apoſtolus ad Rom. 3. 4. ad Galat. 2. & 3. & ad Titum 3. cap. Quò maximè pertinent præcipua illa fidei noſtræ Chriſtianæ capita, Credo remiſsionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam. Qui huic æternę Dei veritati innituntur, & in ipſam ſe ſe collocant, ſecuri conſiſtũt ſuper petra viua & immota. Qui verò ſua extruunt in ſua opera, illi in harenam ædificant.

Quod autem remiſsio peccatorum & iuſtitia hominis Chriſtiani non extruitur ſuper opera noſtra bona, non ideò reijciuntur verè De bonis operibus.

bona opera,neq; dicitur à quoquam fidelium ea esse superuacanea,eaq; de causa non facienda. Cuicunque enim ex gratia Dei per Christum Iesum condonata sunt peccata,is iam coram Deo iustus vel iustificatus est. Deus enim huic sua peccata nõ imputat,imputat autem ei iustitiam Christi. Cumque fidelis iustificatus sit, non potest sanè iustus non nisi
1.Ioan.3. iustitiam vel iusta opera facere. Quæ operantem non iustificant, cum antea sit iustus, sed sequuntur ex iusto, & sunt veluti fructus veræ fidei boni.

Adhortatio ad bona opera. Ad huiusmodi opera fidei facienda multis in locis per euangelium fideles adhortatur dominus. Nec bonorum operum formas nouas comminiscitur & tradit suis,sed veteres recolligit ex lege, & concludit in charitatem, di-
Ioan.13. cens.In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei sitis si charitatem seruaueritis inter vos mutuam. Sed & Paulus apostolus, Consum-
Rom.13. matio legis,inquit,est dilectio.Adhæc ne quis iure videretur conqueri, nescire se quænam sint verè coram Deo bona opera, quæ cultor Dei faciat, sancti apostoli Christi diligentissimè omni hominum ætati, sexui, atq; ordini: præscripserunt officia pro cuiuslibet vocatione, docentes quid priuatim, quid publicè faciat. Videre hoc licet in epistola Pauli ad Timoth.

moth. & Titum, vbi inter alia, Hęc inquit doce, in his esto. Quod si feceris eris fidelis Christi minister, seruabisq; te & qui fidei tuæ commissi sunt, &c.

De Monachismo autem operibusq; monachorum ne verbum quidem vllum vel à Christo vel ab apostolis factum legas in euangelio & Actis scriptisq; apostolicis: nisi quòd quæ Dominus contra pharisæos Iudęorum monachos dixit, mirifice in hos nostros quoq; competát. Multa quoq; scripserűt apostoli Christi Domini quæ cõtra monachos faciunt: qualia sunt quæ leguntur ad Coloss. 2. 2. ad Thess. 3. & 1. Timoth. 4. 5. 6. & in 2. cap. 3. & pluribus locis alijs. At quorsum obsecro pertinet nouas bonorum operum formas comminisci, quis obsecro ea fecit opera bona, quæ Deus nobis præcepit? Ergo cui non satis faciunt bona opera ab ipso nobis domino mandata, ei dicit dominus, Frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum. Quo & illud apostoli Pauli pertinet, Quiquid non ex est fide, peccatum est. Fides auté est ex auditu, auditus aűt ex verbo Dei. Roman. 14. 10. cap.

Monachismus.

Math. 15.

Huc pertinet doctrina de pœnitentia, quæ nihil aliud est, quàm peccatoris seria auersio à satana & ab omni impuritate eius malitiaque, & conuersio vera ad Deum & pietatem, iusta

De uera pœnitentia & confessione.

inquam vitæ emendatio ſecundum verbum Dei,per fidem in Chriſtum. De hac multiplex eſt concertatio inter doctos, dum quæritur quot abſoluatur partibus, & qualis eſſe debeat cordis propter peccata contritio? Qualis eſſe debeat oris confeſsio? An ſacerdoti oporteat confiteri peccata? An ſatis ſit ſi quis Deo priuatim peccata confiteatur? An pro peccatis requiratur ſatisfactio, & qualis ſatisfactio? Cæterũ ſaluator totum hoc pœnitentię negotium q̃ ſimpliciſsimè & elegãtiſsimè nobis cognoſcendũ varijs propoſuit in euãgelio exemplis,proponens nobis imagines verè pœnitentiũ, q propter agnita peccata ſua ſeriò doluerũt,peccata ſua Deo cõfeſsi ſunt,ad Chriſtum ſe vera fide conuerterunt,& vitam ſuã emendarunt. Tale proponitur nobis exemplum Matthæi & Zachariæ publicanorum, Peccatricis deploratæ & maximè infamis apud Lucam in cap. 7. filij item prodigi apud Lucam in cap. 15. item publicani, peccatorum mole oppreſsi,apud eundem cap. 18. Petri denique negatoris & latronis in cruce cum domino pendẽtis. Horum facta iubemur imitari quotquot veram volumus agere pœnitentiam. Proinde qualis fuit illorum contritio cordis dolorq; de commiſſo contra Deum peccato, talis & noſtra debet eſſe contritio: & ſicut illi
ſoli

ſoli Deo & nulli ſacerdoti ſua peccata confeſſi ſunt, ita debemus & nos confiteri ex intimo cordis ſinu, Deo peccata noſtra, ſicuti nos docuit B. Ioannes apoſtolus epiſtola 1. cap.1. Et quemadmodum iſti vitam ſuam prauam emendauerunt & ſtudio iuſtitiæ bonorumque operum ſeſe conſecrauerunt, ita nos quoque peccatis renunciare ac noua vita Deo inſeruire debemus. Nam dominus noſter Ieſus Chriſtus vnicus æternus & ſummus pontifex vel ſacerdos ad dexteram patris, pœnitentes huiuſmodi ipſemet abſoluens à culpa & pœna, dixit in euangelio, Ecce ſanus factus es, vide ne poſthac peccaueris, ne quid tibi eueniat deterius. Ioannis 5.

Quando autem fidelis ſolum Chriſtum agnoſcit ſuam eſſe ſanctificationem, ſatisfactionem & redemptionem per quem conſequutus ſit remiſsioné peccatorum tam pro culpa quàm pro pœna, iuxta doctrinam propheticam & apoſtolicam Iſaiæ 53. Rom. 3. 1. Cor. 1. & ſecundum articulos fidei Chriſtianæ, non poteſt non floccifacere Romanas indulgentias & quicquid in officio, vt vocant, pœnitentiarij pro pretio aut numerata tranſigitur pecunia. Cum non exciderit memorabilis illa in Actis 8. D. Petri contra Simonem magum & omnes eius cóplices Simoniacos pronuncia-

De indulgentijs & mercibus Roman.

Simonia.

ta ſententia. Si quis autem poſt hæc omnia vſ queadeò plana, de his diſputare operoſius & quæſtui vel lucro Romanen. patrocinari vult, is ſanè impenſius locupletabit vectigalia iſtorum hominum, quàm iuuet veram hominum peccatorum pœnitentiam. Scripſit autem contra hoc hominum genus B. apoſtolus Petrus in 2. epiſtola cap. 2.

Quomodo controuerſiæ de eccleſia Chriſti eccleſiæq; miniſtris, de ſanctis item ſacramentis, in Chriſto, & per doctrinam eius definiantur commodeq; dirimantur.

CAP. XII.

De eccleſia Chriſti.

ITa ſanè nihil opus eſſet diſceptare & rixari odioſius, quod tamẽ multi ſolent, de capite eccleſiæ, eiuſq; poteſtate, clauibus, miniſtris ac ſacramẽtis, ſi placitis his de rebus hominũ præteritis atque neglectis, audiremus ſolum Chriſtum dominum eiuſq; apoſtolos. Iſta enim adeò perſpicuè & ſimpliciter nobis expoſuerunt, vt ſi ijs crederemus ſimpliciter, haberemus proculdubie plus pacis, minus contentionum inuidiæq;. Chriſtus enim vnicum eſt eccleſiæ ſuæ caput, vnicus dominus, paſtor vnicus atque ſponſus & gubernator, vtpote verus Deus & homo verus, qui ſalutem vitamq; dat vniuerſo ſuo corpori. Chriſtus eſt in medio eccleſiæ ſuæ, quam nunquam deſerit ſed ſem-

Solus Chriſtus ſuæ eccleſiæ caput.

ſemper regit atque conſeruat ſpiritu & verbo ſuo. Sole clarius iſta docentur in doctrina euangelica & apoſtolica. Proinde nihil opus eſt fidelibus in eccleſia, in qua ipſe Chriſtus præſens & caput eſt, Pontifice Rom. qui vel caput ſit vel Chriſti vicarius. Fideli enim ſufficit vnus Chriſtus, qui omnia in omnibus adimplet. Quinimò in rebus Pont. Rom. obſeruat fidelis impleri ea quæ à Dei prophetis & apoſtolis ſunt prædicta, vt à Daniele in cap. 7. 8. & 11. & Apoſtolo 2. Theſſ. 2. Itaque fugit Pontificem cum ſua Babylone, prout ipſe nobis dominus vnà cum apoſtolis præcepit Apoc. 18. Rom. 16. 2. Cor. 6.

Eſt autē eccleſia Chriſti aliud nihil, quàm communio ſanctorum, extructa ſuper vnica petra Chriſto, vnici illius paſtoris omniū electorum vnicum & verum ouile. Sicut autem oues, prout ipſe teſtatur Chriſtus, ſolius paſtoris vocem audiunt, alienorum nō agnoſcunt, ita fidelibus Chriſti membris per eccleſiá ſufficit vnica illa veritatis doctrina à Chriſto, à prophetis atque ab apoſtolis tradita. Et habet eccleſia Chriſti redactum in compendiū quid credat, articulos vel capita nimirum illa fidei Chriſtianæ: habet quid faciat aut omittat decalogo expoſitum: habet item quid & quomodo oret dominica illa oratione comprehēſum.

Eccleſia Chriſti quid.

Doctrina eccleſiæ Chriſti.

Sunt illa prima principia & rudimenta nostrę religionis, quæ deinceps in ecclesia quotidie illustrantur explicanturque & confirmantur doctrina euangelica, prophetica apostolicaq;. Ex istis verò quis non colligat frustrà aut nullo cum fructu institui disputationes in ecclesia, de eo, an ecclesia leges promulget, quibus perinde vt diuinis obediendum sit legibus? an ecclesia doctrinam Christi & ritus eius mutare, augere aut imminuere posit? Certissimum est enim veræ Christi ecclesiæ doctrinam & ritus Christi sufficere, cum intelligat ea omnibus numeris esse absolutissima.

De clauibus ecclesiæ.

Dedit quidem claues ecclesiæ suæ dominus, vt his ministri vtantur ad salutem fideliũ, aperiendo & claudendo cœlum, sed huiusmodi claues aliud non sunt, quàm verbi Dei verbique ministerium. Nam prædicatione euangelica aperitur fidelibus cœlum, infidelibus clauditur. Hac ratione etiam remittunt & retinent ministri peccata hominibus. Cùm enim annunciant fidelibus certò fore, vt si credant, remissionem peccatorum consequantur, peccata remittunt. Cùm verò attestantur iram Dei manere super incredulis, retinent peccata. Vbi Christo domino potestas inuiolata vel integra manet soli & semper, ministerium verò commendatur permittiturque ministris.

Docetur

Docetur hoc diligenter in verbo veritatis, dũ pronunciatur imperium eius insidere humeris eius, ipsum denique portare & seruare clauem Dauidis, quò claudat atque aperiat. Est præterea cognitum omnibus quid apostolus docuerit de ministris & ministerio in priore ad Corinth. 3. & 4. cap. Si qui verò operosius disputare & contendere instituunt de potestate clauium, hac ipsa re produnt se impensius suam ipsorum quàm Christi quærere gloriã, & quod sibi parare volunt nescio quas claues, ad quiduis potius quàm ad salutem ecclesiæ vtiles. Isa. 9. Apoc. 3.

Christus in hoc potissimum instituit ministros, vt colligant ipsi ecclesiam, vt ecclesiam doceant, instituant, admoneant, adhortentur, increpent & consolentur, idque ex verbo veritatis, quò Christus rectè cognoscatur, ei ex animo fidat ipsumq; legitimè colat ac honoret. Officium itaque ministrorum est colligere sana doctrina ecclesiam, instituere in fide cùm iuuenes tum senes, preces cum priuatas vrgere tum publicas celebrare, disciplinam exercere conseruareque, sacramenta administrare synceraq; retinere, prælucere item ecclesiæ exemplo vitę sancto in omni pudicitia, modestia & honestate, visitare denique ægrotos, & omnia ea fideliter expedire quę præcepit do- De ministris ecclesiæ.

minus ad conſeruationem ſuæ eccleſiæ. Eph. 4. cap. Quotquot verò his præteritis concertant de præeminentia & dominio ſpiritualiũ, qui antecellant dignitate & modis omnibus vniuerſos in terra reges & principes, ac inter ſemetipſos alij alijs ſint poteſtate præſtantiores, ceu ſorices ſuo ipſorũ indicio, quales ſint & quid quærant, manifeſtiſsimè produũt, Chriſtus verò Dominus vno veluti verbo tollit ex eccleſia faſtum illum atque primatum illum vniuerſum, cùm dicit diſcipulis ſuis, Reges gentium dominantur eis, & qui exercent in eas dominium vocantur benefici, gratioſi vtique domini benefactoreſq́;. Vos autem nõ ſic: ſed qui maior eſt inter vos, fiat ſicut minor, & qui excellit ceu princeps, ſit ſicut is, qui miniſtrat, &c. Luc. 22. cap. Similia his alibi quoque docuit dominus magna cum authoritate, vt apud Matthæum in 18. & 20. cap. Qui verò his ſpretis malunt ſuis diſputationibus tueri atque promouere pfafforum faſtum atque dominium, in eos quadrabit admodum appoſitè illud apoſtoli, libenter ſuffertis eos qui vos adigunt in ſeruitutem, qui vos exedunt, qui accipiunt & attollunt ſeſe, & cædunt in faciem, &c. 2. Corinth. 11.

De ſanctis Chriſti ſacramentis.

Sacramenta ipſe dominus inſtituit eaque ipſemet vſurpauit, & quidem ſumma cum ſimplici-

plicitate & luce,ac ſine ſumptibus & pompa. Ergo quod de his inſtituuntur diſputationes operoſæ & inexplicabiles, vſurpanturq́; ritus multiplices ſine fine modoq́;, ac pompa ſumptuoſa inuoluuntur omnia, vltrò nobis acceſſimus moleſtiam, & cōduplicamus impenſas, quibus nos nō aggrauauit Dominus, quibus denique carere,ſi ſaperemus,facilè poſſemus.

Ioannes baptiſta prædicauit populo Iſraelis euangelium, ſimul etiam omnes eos aqua baptizauit, qui profitebantur veram religionem volebantq́; cenſeri nomine populi Dei. Atteſtatus eſt autem baptiſmò quod ſicut corpora abluuntur aqua à ſordibus, ita electos Dei gratia Dei,per Chriſtum,purgari,ab impuritate peccatorum. Baptiſatos quoque receptos & inſcriptos eſſe in album filiorum Dei,obſtrictoſque eſſe ad veram vitam profitendam atque ſanctè vel innocenter viuendum. Eſt autem Chriſtus ipſe in Iordane baptiſatus aqua,iuſsitque diſcipulos ſuos baptiſare aqua in nomen Patris & Filij & Spiritus ſancti.Id quod apoſtoli fecerunt, ſicuti teſtatur hiſtoria euangelica & apoſtolica. Cur autem in hac luce & ſimplicitate exercent multi odia & ſe mutuum affligunt propter neſcio quos ritus & varias obſeruationes circa baptiſmum uſurpari ſolitas? Ab initio non

De ſancto baptiſmo.

ſuerunt hæc baptiſmo addita, & ſine his fuit tamen efficax & perfectus. Quis verò dubitet efficacem & perfectum eſſe etiam nunc cùm in antiqua illa ſua ſimplicitate confertur atque accipitur? Aut cur obſecro contenditur adeò pertinaciter de infantium baptiſmo, quaſi infantes non ſint baptiſandi? Quando enim baptiſmus eſt ſignum populi Dei: & infantes fidelium recenſentur in numero populi Dei: quare oro negaretur his ſignum populi Dei? Sunt de his aperta argumenta apud Marcum 10. & in Actis Apoſt. 10. cap.

Infantium baptiſmus.

De ſancta cœna domini.

Ad eundem modum inſtituit eccleſiæ ſuæ Dominus ſanctam cœnam ſumma cum luce ſimplicitate & frugalitate. Eandem ipſe primus celebrauit, celebrandoque omnibus obiecto ſuo vtique omnium perfectiſsimo exemplo ob oculos nobis cõmonſtrauit quomodo celebrari eam velit, donec ſeculum fuerit. Colligit enim in cœtum apoſtolos ſuos: his concionatur de paſsione ſua & noſtra redemptione, item de officio fidelium: addit preces & gratiarum actionem. Simul autem panem accipit, frangit, porrigit, dicens, Accipite, edite, hoc eſt enim corpus meum. Hoc facite in mei memoriam. Similiter poculum accipit, gratias agit, porrigit hoc ſuis, & ait, Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim ſanguis meus qui eſt

Marc. 14.

noui

noui teſtamenti, &c. His etiam vult retinere in memoria nec vlla vnquam obliuione adobrui delerique beneficium noſtræ redemptionis per Chriſtum: pro quo gratias agere iubemur, quoties hác cœnam celebrauerimus. Admonemur præterea noſtri officij, vt qui Chriſti ſumus participes, emendemus vitá noſtrá, ſynceri ſimus in fide, nunquam communicemus cum peregrinis religionibus, ſed per fidem & charitatem maneamus in vnitate corporis huius eccleſiaſtici. Quemadmodum autem foris ore corporis participamus de pane & poculo domini, ita intus ore animi communicamus corpore & ſanguine domini, vt hic viuat in nobis & nos in ipſo.

1. Cor. 10.

Ioan. 6.

Proinde nihil porrò diſputant fideles, An cœna peragéda ſit vna cũ ſpecie an cũ vtraq;? An celebranda ſit miſſa, an peragenda Domini cœna? An cœna ſit ſacrificium expiatoriũ pro peccatis viuorum & mortuorũ? Abunde enim ſatis inſtructi ſumus verbis Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, dicentis, Bibite ex hoc omnes. Sed & Paulus in 1. Cor. 11. exhibuit vſum poculi vniuerſę Corinthiorum eccleſiæ, ac diſertè teſtatur hoc ſe facere ex mandato Domini. Præterea dicit Dominus in actione cœnæ, Hoc facite. Et eadem verba repetit & ait, Hoc facite. Quid verò mandauit

Forma cœnæ dominicæ.

cum dixit, Hoc facite? Nimirum hoc facite quod meo exemplo faciendum esse didicistis. Cœna est itaque peragenda & non celebranda Missa. Neque Christus ipse neque apostoli vnquam celebrarunt Missam. Ritus celebrandi Missas temporibus. diu post apostolorum tempora consequentibus, hominum industria inuentus est, atque sancitus. Et cœna quidem hæc Domini commemoratio est semel peracti sacrificij, nō ipsum sacrificium propitiatorium. Dicebat præterea, Accipite, edite: Quod cum solis competat viuentibus non mortuis, apparet apertè cœnam non esse celebrandam pro expiatione peccatorum hominum mortuorum. Et quidem post hanc di lucidam explicationem mysteriorum Dei, nihil amplius requirit homo fidelis. Si cui verò nondum est factum satis, sed pergit varias nectere quæstiones, fateatur hic tandem oportet sua ipsius culpa miserum inhærere luto nec emergere vnquam.

Sacrificiū pro uiuis & mortuis.

Quomodo controuersiæ quæ in ecclesia exortæ sunt, de cura pro mortuis gerenda, & de alijs nonnullis rebus, in Christo & per doctrinam eius definiantur & commodè dirimantur. CAP. XIII.

Quomodo quisque se componat ad mortem beatam.

QVisquis verò certam habere cupit formam ad quam se moriturus aliquando &

do & migraturus ex hoc ſeculo in ſedes beatas componat, quam oro reperiet abſolutiorem melioremq́ue quàm ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti exemplum? Obſeruet ergo quilibet quid ille fecerit moriturus & quomodo migrauerit ad patrem ex hoc ſeculo, imiteturq́ue exemplum hoc præſtantiſsimum: ſicuti & Stephanus feciſſe legitur, qui ſe totum diuinæ voluntati commiſit, patienterq́ue ſeſe Deo obtulit, ad extremum clamitans, Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Nulla itaque opus erit poſthac diſputatione, An animas noſtras archangelo Michaeli aut virgini Mariæ ſub vitæ noſtræ exitum commẽdemus? Audimus enim vni Deo per Chriſtum eas eſſe commendandas. Tutiſsimum & optimum eſt in hoc vno præſidium. Act.7.

Ita etiam nulla erit porrò opus diſputatione, quonam migrantes â corpore animæ noſtræ perueniant? Significanter enim dicit Dominus noſter, Omnis qui credit in me habet vitam æternam: qui verò non credit, manet in morte, neque viuet vnquam. Quicquid ergo extra hoc immotum fidei noſtræ fundamentum diſſeritur de igne purgatorio, quaſi in alio illo ſeculo illis, qui hinc diſcedunt, non prorſus boni neque tamen penitus mali, paratus ſit ignis quidam quo primum De purgatorio. Ioan.3.5.6.8.

quidem repurgetur remanens malum, deinde verò purgatus recipiatur in gaudia cœlestia, nullam meretur penitus fidem aut probabilitatem apud vere fideles, præsertim cum
Ioan.5. iterum dicat in euangelio Dominus, Amen amen dico vobis, quisquis audierit verbum meum & crediderit ei qui me misit, habet vitam æternam & in iudicium non veniet, sed transiuit de morte in vitam. Si enim fidelis in iudicium non venit, proculdubio pœnam quoque declinauit & effugit, & per consequens etiam flammas vel pœnas ignis purgatoriani. Pronunciat enim apertè Dominus, De morte transiuit in vitam, id est anima fidelis hominis soluta à corpore rectà euolat in sedes beatas. Ita verò & fidem nostram confitentes dicimus, Credo remissionem peccatorum, & vitam æternam. Quod enim his nonnulli opponunt, culpam quidem remissam esse peccatorum, pœnam verò non item, confutatum est per Isaiam prophetam in 53. capite. Rursus quod obijciunt fieri vt quis hinc discedat non prorsus malus neque plene purgatus, qui certè non transferatur rectà in cœlum impurus, quum impurum in cœlo locum non habeat, dissoluitur à seruatore nostro Christo in euangelio Ioan. dicente,

Qui

Qui lotus eſt non opus habet niſi pedes lauare, ſed mūdus eſt totus: dominus enim aufert à nobis peccata, vt in ipſo & per ipſius ſanguinem plene ſimus mundi vel ſanctificati.

Quæ impẽdamus mortuis noſtris maioribus.

Hæc cum certò ita habeant quid de maiorum noſtrorum morte & cōditione poſt mortem aliud poſſumus ac debemus ſperare, quá cum in vera fide Chriſtiana exceſſerint, tranſlati ſint ad cœlos, vbi viuant æternùm cum Chriſto? Neque verò temerè hoc ſperamus de noſtris maioribus. Iubemur enim ſic ſperare ab indubitata fide noſtra Chriſtiana. Ea enim ſi vera & certa eſt, vt falſa & dubia eſſe nequit: ac maiores noſtri crediderūt vere remiſſionem peccatorum, & vitam ęternam, dubio procul aſſequuti ſunt quod crediderunt: iuxta quod diſerte pronunciauit dominus, Fiat tibi ſecundum fidem tuam. Iam verò quid neceſſe fuerit, obſecro, eos iuuare noſtris precib. & varijs bonis operibus è tormentis liberare velle, qui in refrigerio & nullo ſunt in infelici ſtatu? Quinimo ſi perrexerimus eos proſequi varijs officijs, quaſi liberaturi ipſos è tormentis, quid, obſecro, faciemus aliud, quàm quod ſolent qui verbis cōfeſſa, negant factis? Verbis enim confitemur, Credo remiſsionem peccatorum, & vitam æternam: factis autem conamur eos eripere ex tormentis: quod ſanè pe-

Math. 8. & 9.

rinde eſt,ac ſi per eam fidem, in qua migraſſe eos dicimus ex hoc ſeculo,nondum ſint conſequuti: Quod ſi veritas fidei Chriſtianæ immota manet, ut ſanè firmiſsimam manere oportet,indubitatum profectò eſt,maiores noſtros frui vita æterna, & iccirco nullis noſtris iuuandos eſſe officijs. Interim verò iubet nos pietas diligere mortuos, exoptareque deſiderio ſancto cùm domino viſum fuerit cõiungi cum eis,honorem denique ipſorum tueri & prouehere, & liberos ipſorum relictosq́; in hoc ſeculo omnigenis proſequi beneficijs. Si qui verò maiorum noſtrorum hinc ſoluerunt in incredulitate aut impietate, his nullis officijs ſubuenire poteſt fidelis. Vniuerſa enim ſcriptura concorditer teſtatur impios recta mergi in inferos.

Orare pro defunctis.

Quod autem his perſpicuis admodum euidentibusq́; opponitur orationem pro defunctis, & curam pro mortuis in eccleſia diu vſurpatam à pijs omniumq́; vetuſtiſsimam & à patribus traditam eſſe:reſponderi poteſt breuiter,ea quę articulis fidei comprehenſa ſunt, nullis patrum traditionib. aboleri, infirmari. Rurſus vetuſtiora eſſe & authoritatis irrefragabilis, quæ nobis ad eum quẽ commemorauimus modum tradita ſunt in ſcriptura ſancta à Chriſto & ab electis eius apoſtolis,quod

viuant

viuant mox à morte corporea credentes, pereant autem non credentes. In hac ſimplicitate perſeuerare oportet, & dominum orare pro fidei ſaluberrimo increméto & robore.

Diſsidia & certamina quæ exorta ſunt in mundo propter matrimonium & delectum ciborum, Chriſtus dominus cum ſuis apoſtolis rurſus diſcuſsit exactiſsime. Scriptum eſt enim, Honorabile eſt connubium & cubile impollutum, adulteros autem & ſcortatores iudicabit Deus. Item, Melius eſt nubere quàm vri. Et cùm matrimonium inis, non peccas. Et ſi virgo nupſerit non peccauit. Si verò virgo propriæ voluntatis potens eſt, & manſerit ita, bene facit. Et iterum, Sed nõ omnes capiunt verbum hoc, ſed ij quibus datum eſt. Qui poteſt capere, capiat. Matth. 19. Hebræos 13. 1. Cor. 7. 1. Timoth. 4. & 5. cap. De coniungio & de lectu ciborũ.

Idem dominus noſter Ieſus Chriſtus docet nos in euãgelio, quod id, quod ingreditur per os, ut eſt cibus & potus, nõ coinquinet hominem, ſed illud potius quod egreditur ex ore. Matth. 15. Prohibet itaq; Paulus iudicare quenquam ob cibum & potum. Coloſſ. 2. Roman. 14. 1. Timot. 4. Hortatur interim vniuerſa doctrina euangelica ad gratiarum actionem & ne in his modum prætereamus. Docet abſtinentiam & carnis mortificationem, exer- Matth. 15.

citiumq; sanctum in precibus ieiunijs & elee-
1. Cor. 6. mosyna. Nam testatur epulones & potatores arcendos fore regno Dei. Nemo, opinor, est, qui posthac dicturus sit, sibi in hoc genere doctrinæ nondum esse satisfactum.

De magistratu. Possunt hic quoq; breuissimis abduci per Christi & apostolicam doctrinam à suis rixis contentionibusq;. quicunque varias nectunt quæstiones, An Christianus possit fungi munere magistratus? An magistratus sit Dei or-
Ioan. 3. 7. Marc. 15 dinatio, proficiscaturq; à Deo? An huic pendendum sit, quod pendi sibi cupit? Nam dominus Iosephum & Nicodemum recepit discipulos, qui tamen munus non deserebant magistratus. Sic à Petro & Paulo recepti sunt in nume-
Act. 10. & 13. rum Christianorum Cornelius legionis Italicę Centurio, & Sergius Paulus procos. Cyprius. Quid quod ipse dominus apertè pronun-
Matth. 22. cians de hac causa dicit, Date Cæsari quod est Cæsaris, & Deo quod est Dei. Et Paulus apostolus, Omnis potestas, inquit, à Deo est, & qui in potestate constitutus est, Dei minister est. Date ergo cuiuis quod debetis, Cui vectigal vectigal, cui tributum tributum, & cætera. Romanorum 13.

Quo consilio hęc omnia scripta. Quæcunq; verò in præsentiarum adduxi exempla concertationum in ecclesia exortarum contra rixas & dissidia fidelium, per do-

doctrinam

ctrinam Christi & apostolorum commodè di
rempta,non in hoc adduxi,vt veterum &neo
tericorum ecclesiæ scriptorum disputationes
& libros quibus pugnant, vituperem aut i-
psos tanquam inutiles reijciam. Fateor enim
labores ipsorum huiusmodi non tantum fuis-
se tunc necessarios,sed & nunc pijs esse vtiles.
Ipsorũ enim seculo exorti sunt corruptę men
tis homines,qui & religionem corrũpere do-
ctrinamq; pietatis inuertere conati sunt. His
oportuit omnino responderi & animos sim=
plicium confirmari. Maluisset haud dubiè a-
postolus Paulus sine contentione euãgelium
prędicare,sed pseudapostolorum improbitas,
vel nolentem protraxit in harenam. Neque e-
nim aliter facere potuit, nisi veritate deserta
atq; prodita.

Ergo si aliqua horum similiumúe capita importunitate contentiosorum hominum, rapiantur in certamen, multò minus hac mea dissertatione volo quenquam retrahere è pugna,suaderéq; vt quisque se neutralem, vt vocant,constituat. Norunt enim pij omnes,non citra salutis discrimen deseri à nobis posse veritatem: Quinimo obstringi nos à Deo ad liberam confessionem & iustam veritatis defensionem,manifestamq; impietati contradictionem. Huc potius ea quæ hactenus disputaui

Quisq; confiteatur ueritatem & tueatur eandem.

pertinent,ut cum religionis varia hactenus ingruerint certamina, & plura ac noua possint irrumpere in ecclesiam, simplicissimus quisque inhæreat traditæ à nobis euangelicę & apostolicæ doctrinæ,indubitateq; teneat controuersias in vniuersum omnes,non posse certius & felicius decidi aut cōponi,nisi in Christo & in salutari eius doctrina. Cumq; nostro seculo propter diuersas & pertinacissimas cōtentiones multi offensi huc peruenerint,vt dicant,in hisce concertationibus nihil amplius restare doctrinæ sanæ, nihil amplius certi de religione haberi posse, volui ego in præsentia commonstrare vtcunque grauiter pertinaciterque de pluribus controuertatur, rixæque ferãtur in ecclesia,nihilominus tamen,quemuis pium Christi cultorem, modo non sit hypocrita malitiæq; suæ dissidium hoc infelix prætexere malit,habere in Christo & doctrina eius doctrinam de fide & salute nostra expeditam simplicem certissimamq;. Et est illa pars prima huius mei operis,qua posui, Deo iuuante,firmum fundamentum ipsum dominum nostrum Iesum Christum,cui tutò quilibet fidelis inniti potest, &c. Scripsi autem hęc ad institutionem confirmationemque & consolationem fidelium.

Contra quæstiones disputationesq́ curiosas.


Interea hortor omnes Christi cultores religiosos,

ligiosos, ut semper studeant simplicitati, fugiant contentiones & rixas, & ne ea quę nihil ad salutem nostram Deiq; gloriam pertinent, curiosius scrutentur, neúe plus scire præsumant, quàm fidei modus & doni Christi moderatio permittit. Studeat quisque probitate vitæ, iuxta regulam Christi, excellere potius, quàm inuentis opinionibus & disceptationibus nouis, fieri celebris. Recogitet quisq; quorsum hæc salutaria diui apostoli Pauli pertineant, Si quis diuersam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, is inflatus turget, nil sciens sed insaniens circa quæstiones & verborum certamina: ex quibus nascitur inuidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ, peruersæ exercitationes hominum mente corruptorum, & quibus adempta est veritas, qui quæstui habent pietatem. Secede ab ijs qui huiusmodi sunt, &c. 1. ad Timotheum. 6.

FVNDAMENTI FIRMI PARS SECVNDA.

Controuersiam in ecclesia inter nos & Brentium exortam de Cœlo, de Dextera Dei, quod corpus Christi non sit ubiq;, & de cœna Domini, in Christo & per doctrinam eius significanter definiri et commodè dirimi. CAPVT I.

Scopus & Summa 2. partis.



RIMA quidem huius operis parte enata ex certaminib. varijs doctorum in rebus Religionis offendicula amoliri ijsq; medicari, quátum breui potuit dissertatione fieri, conatus sum: Secunda verò hac parte, Dei auxilio fretus, commonstrabo, controuersiam in quam nos pertraxit Brentius, de Cœlo, de dextera Dei, de corpore Christi, & de Cœna domini, in Christo etiam & per doctrinam eius significanter definiri & commodè dirimi.

Cœlum nō esse ubiq; sed locum certum.

De Cœlo docemus locum esse certum, non quidem in hisce terris, neq; vbique, sed distinctum à terris, supra nos, supra nubes, & supra visibile cœlum, in excelsis, adeoq; esse mansionem

nem vel habitationem, in quam assumptus est Dominus noster, & in quam assumet ad se electos suos omnes. Hanc nostram sententiam simplicissimam oppugnat, contemnit, irridet & reijcit Brentius, contendens Cœlum non esse locum supra nos certũ, in quo Christus corporaliter cum electis suis habitet. Nã cœlum in quo electi habitant non posse commonstrari in certo aliquo loco. Definiri enim hoc maiestate Dei, ut quemadmodum ipsa est vbique, ita & Cœlum sit vbique. Quod verò scriptura testetur Christum ad Cœlum ascendisse, in rebus spiritualibus & cœlestibus hæc vocabula supra & infra vsurpari ex humana consuetudine, definiri autem non locis, sed dignitate & indignitate, maiestate & abiectione, & cætera. Cæterum dominus noster Iesus Christus, qui nobis multò melius quid per ascẽsionem intellexerit, sed & quid & vbinam Cœlum sit, exactissimè tenet, manifestissimè apud Ioannem in euangelio dixit, In domo Ioan.14.
patris mei mansiones multæ sunt. Quod si secus esset, dixissem vobis. Vado paraturus vobis locum. Et si abiero ad parandum vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Clarissimè item idem in eodem euangelio dixit, Hęc vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram;

nunc autem vado ad eum qui me miſit. Ac veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero conſolator ille non veniet ad vos. Item, Exiui à Deo & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Et iterum, Et non amplius ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Quemadmodum verò dixit ſe iturum, id eſt, aſcenſurum ad patrem, ita etiam videntibus diſcipulis ſuis, aſcendit ſublatusque eſt in cœlum: & nubes ſubduxit illum ab oculis eorum. Huc pertinet iam fidei noſtræ Chriſtianæ caput vel articulus, Aſcendit ad cœlos. Cum his congruit vniuerſa ſcriptura ſancta. Quod ſi quis apertiſsimis quidem illis non credit, ſed mauult ſe vbiquitati, id eſt, nebulis Brentianis committere, is deſinat poſthac conqueri ſe diſputationibus hominum varijs circumagitari, vt vbi certò conſiſtat, neſciat.

Ioan.16. & 17.

Actorum 1.

De dextra Dei loco beatitudinis in cœlo

Porrò de dextera Dei patris docemus ſimpliciſsimè & ſignificantiſsimè, ſignificare quidem ipſam ſummam infinitamque Dei maieſtatem & omnipotentiam, addimus tamen eandem in ſcripturis etiam accipi pro loco certo beatitudinis in Cœlo, in quo corpus domini noſtri Ieſu Chriſti requieſcit in omni maieſtate & gloria. Contrà verò affirmat Brentius

us, Dexteram Dei ipsam esse maiestatem Dei, non certum in cœlis locum felicitatis & quietis. Nam sedere ad dexteram patris aliud nihil esse, quam æquali maiestate & omnipotentia Dei ornatum esse & adimplere omnia. Denuò autem dirimit hanc pugnam Christus dominus, dum mox ab ascensione se exhibet videndum beato Stephano, vt ea visione toti mundo ostenderet quo peruenisset ascensione sua, & vbi nunc ageret. Exhibuit autem se videndum ad dexteram Dei patris, hoc est, supra nos in cœlis, & non inferius apud nos in terris, multò minus autem vbique. Scriptura enim manifestè testatur & dicit, Cum autem Stephanus plenus esset spiritu sancto, intentis in cœlum oculis, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dexteris Dei. Ac idem ille veracissimus testis, martyr Christi gloriosus, Ecce video, inquit, cœlos apertos & filium hominis stantem à dexteris Dei. Similiter attestatur & apostolus Paulus, & dicit disertè dexteram Dei superne in cœlis in excelsis esse. Cui verò hæc plana explicatio non satisfacit & implicatiora requirit, ne miretur, si amplectatur pro veritate catholica, opinionem contentiosi hominis erroneam.

Actor. 7.

Coloss. 1.

Hebr. 1.

De vtraque in Christo natura & quod Christi corpus nō sit vbique

De vtraque in Christo natura docemus pari simplicitate, Christum verum esse Deum

& hominē & naturas in vnam indiuisam personam sic esse coniunctas vel vnitas, ut vtraque distincta in sua proprietate permaneat, neque personalem vnionem naturas inter se cōmiscere, neq; abolere, denique maiestatem & gloriam in quam exaltatus est Christus dominus minime efficere, vt quemadmodum diuinitas Christi vbique est, ita vbique sit & humanitas. Brentius verò docet humanitatem Christi personali vnione sic esse vnitam diuinitati, elatamque in omnem Dei maiestatem & gloriam, vt verè dicere possimus, vbicunque est diuinitas Christi, ibidem esse & humanitatem, ideoque Christi corpus in cœlis nullo esse circumscriptum loco, sed vbique. Christus verò dominus dixit quidem se ingressurum vel exaltandum in gloriam suam, idem tamen nihilominus expressissimis verbis dixit se posthac non futurum in mundo. Quod si non amplius est in mundo, certè per exaltationem in gloriam patris, effectum non est, vt sit vbique. Alioqui etiam esset in mundo. Sed non est in mundo, ergo per exaltationem non est vbique. Et quamuis alicubi dixerit dominus, Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, loquitur tamē de diuina maiestate, quam habet communem cum patre & sancto spiritu. Præterea testantur angeli

Lucæ 24. Ioan. 17. Matth. 28.

Dei

Dei,corpus Christi, corpus inquam clarificatum, quòd ascendit in Cœlum nòn esse præsens in terris, & ideo non vbique. Et tamen cum ita loquerentur, indiuisam illam Christi personam non dissuerunt,neq; ex vnica duas fecerunt personas, vel ex vno Christo duos Christos. Cui verò verisimile videatur Brentium rectius tenere mysterium vnionis naturarum in vna indiuisa persona, quàm Christum ipsum dominum, & sanctos eius angelos? Quod si quis ita desipit, fruatur sanè suo detrimento sua ipsius insania. Actorum.

De Cœna domini.

De Cœna domini docentes, perseueramus in ea simplicitate,quæ ab ipsis tradita est Christi apostolis,in qua & vera Christi ecclesia perseuerauit. Docemus enim Cœnam esse memoriam pasſionis mortisque domini & certisſimę nostræ redemptionis : in qua fideles omnes gratias agunt benefactori, obstringunturq; ad debita officia pietatis. Docemus in hac ipsa ecclesiam habere testimonium veritatis,quod Christus verè pro nobis, veram suam carnem tradiderit in mortem sanguinemque suum fuderit ad viuificandum nos abluendaq; peccata nostra:ac proinde veram carnē & verū sanguinē filij Dei viuificū esse cibū & potū,quę fideles spiritualiter, non corporaliter aut carnaliter,percipiāt,ut Christus

in ipſis viuat & ipſe in Chriſto. Brentius verò docet verum corpus & verum ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini ſubſtantialiter vel corporaliter percipi in cœna, non tantũ à fidelibus, ſed etiam ab infidelibus: propterea quod Chriſtus diſertè pronunciarit, Accipite, edite, Hoc eſt corpus meum, &c. Cæterùm dominus noſter Ieſus Chriſtus tametſi in vltima ſua cœna pronunciarit panem eſſe corpus ſuum, idem tamen ipſe in eadem ipſa cœna, & mox poſt eam atteſtatus eſt ſe abiturum ex hoc ſeculo, & nõ amplius manſurum in mundo. Et prodeſſe quidem vt abeat ad patrem. Alioqui enim ſpiritum ſanctum non aduenturum. Ad hæc expoſuit nobis ipſemet dominus noſter ſententiam ſuam, quomodo velit nos edere carnem ſuam, & bibere ſanguinem ſuum, non vtique corporaliter aut carnaliter: ita enim carnem nihil prodeſſe, ſed ſpiritualiter per fidem. Et qui ad eum modum Chriſtum edat & bibat in eo manere Chriſtum: qui verò ipſum non ita percipiat, enm non habere vitam neq; vllam cum Chriſto communionem. Vſus eſt autem hiſce vocibus ſpiritualiter aut ſpiritualis cibus & potus in 1. ad Corinth. 10. capite ipſe Chriſti apoſtolus Paulus. Vſa eſt ijs vniuerſa vetuſtas. Vnde iam manifeſtiſsime apparet

Matth. 26.

Ioannis 6.

nos qui docemus verá Christi carnem & verum eius sanguinem edi & bibi à fidelibus spiritualiter,non nouam & alienam à sensu Christi interpretationem,sed apostolicam & veterem expositionem adferre in mediũ. Non requirẽt,opinor, amplius quidpiam fideles post hanc vsqueadeo dilucidá expositionem. Sufficit enim hæc ipsis. Quibus verò nondum factum est satis,sed altercando, nescio quæ ampliora quærunt mysteria, rixis suis non assequentur pleniorem ad vitam æternam cibum & potum, sed incurrent potius grauem Dei iram. Ex istis autem omnibus colligit pius perplexas hasce quoq; controuersas in Christo & per doctrinam eius iam determinatas commodissimeque esse diremptas.

Christo domino sit laus & gloria semper.


SECVNDAE HVIVS PARTIS CAPVT PRIMVM.

De Cœlo Sede Christi Domini *& beatorum in excelsis certa, non vbique diffusa.*

SECVNDA RESPONSIO.

Doctrinam nostram de Cœlo nihil fluxum sibiq́; repugnans continere.

CAPVT II.



OSTQVAM in genere & quidem breuibus commonstraui cōtrouersiam inter Brētium & nos exortam, in Christo & per doctrinam eius, commodè dirimi, consequenter respondebo speciatim ad librum Brentij, quem superioribus diebus satis copiosum edidit atque inscripsit, De maiestate domini nostri Iesu Christi ad dexteram Dei patris, &c. librū sanè adeo perplexum & obscurum, vt prudentioribus facilè pateat authorem operis implicati, animum in hac caussa habere intricatum. Atqui

Librum Brentij de maiestate esse librum implicatū & obscurū.

Atqui mirum non eſt eum, qui cœlum terræ, imò inferos cœlis aliaq; complurima alijs cõmiſcet, de mixtura hac ſua infelici, conſcribere opus infelix intricatiſsimum & nulla vtilitate commodum. Proinde nemo mihi vitio vertet, ſpero, ſi præterita diſpoſitione eius impedita, ſequar eum in hac mea reſponſione ordinem, quem ſequutus ſum in poſtrema illa mea reſponſione, Brentio data, qua oſtendo ſententiam meam de cœlo & dextera Dei, aduerſaria Brentij ſententia non eſſe euerſam. Reſpondebo itaque primum ijs quæ nobis Brentius obijcit de cœlo, idque qua potero breuitate, perſpicuitate & modeſtia. Scio enim auditores atque lectores magna cum impatientia faſtidioque grauiſsimo audire prolixas & impexas commentationes, ſubtilitateſque nihil ad rem pertinentes, & malorum verborum amariſsimorumque conuitiorum copiam. Dominum autem oro ex animo, gratiam ſuam mihi largiatur vt abſque affectione praua aut hoſtili, præteritiſque rebus nihil ad rem pertinentibus, ea duntaxat multò cũ lectorum fructu tractem, quæ promouent gloriam Dei & plurimarum ſalutem animarum.

Conuitia.

In reſponſione illa mea mox ab initio propoſui Brentio ſententiam meam de cœlo contemplandam atque excutiendam. Ea ſi non

Fundamentum de cœlo Bullingeri ſtare adhuc firmũ.

fuerat iuſtis firmiſq; ſubnixa rationibus vel argumentis confirmata, commonſtratum eui ctumq; hoc ab ipſo oportuerat: nunc verò ne extremo quidem digito attigit, nedum euertit, neq; verò euertet vnquam. Hæc eſt autē mea de cœlo ſententia, Doceo cœlum in quod ſuſceptus eſt dominus noſter, & in quo ſancti cum eo futuri ſunt in æternum, locū eſſe certum, non in hiſce terris, neq; vbiq;, ſed è terris diſtinctum, ſupra mundum hunc corruptibilē in excelſis. Hanc meam ſententiam illuſtro & aſtruo principiò quidem ſanctæ ſcripturæ teſtimonijs & articulis vel capitibus fidei noſtrę Chriſtianæ. Scriptura enim vnà cum articulis fidei teſtatur apertiſsimè, Chriſtum in altum eſſe ſublatum corpore ſuo, & quod aſcenderit ſupra omnes cœlos viſibiles & ſuſceptus ſit in ipſum cœlum ſupremum, vbi ſedeat ad dexteram patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Deinde adduco etiam beati Auguſtini teſtimonium, quo non tantum explicat quid ipſe crediderit in hac cauſa, ſed quid ſua ætate vniuerſa crediderit Chriſti eccleſia. Nam dicit, Sed hoc incredibile fuerit aliquan do, Ecce iam credit mūdus, ſublatum terrenū Chriſti corpus in cœlum, reſurrectione carnis & aſcenſione in ſupernas ſedes, paucisſimis remanētibus atq; ſtupentibus vel doctis

vel

vel indoctis, iam crediderunt docti & indocti. De Ciuitate Dei lib. 22. cap. 5. Vnde facile collegerit quiuis quænam sit mea doctrina de cœlo, & quod nihil hac in re ex meipso confingo, aut ab alijs confictum defendo. Perseuero enim in antiqua illa indubitataque ecclesiæ Christi sententia, de cœlo, tradita ab apostolis, eamque viribus meis omnibus, pro gratia à Deo accepta, propugno.

Est autem illa breuis quidem summa doctrinæ meæ de cœlo, quam cum in libellis meis explano copiosius paulò, exhibeoq; qualemcunq; cœli descriptionem, adoritur illam hostiliter Brentius, & spiritu inflato iactitat se cœlum Zuinglianum (cum interim neque Zuinglius neque nos aliud agnoscamus cœlum, quàm illud ipsum, cui modo testimoniũ dedimus) oppugnaturum atque è fundamentis euersurum. Pollicetur aũt hic sibi certissimam & mirabilem prorsus victoriá, Non erimus nos, inquit, qui dimicabimus, sed tantum modo cõfidẽter stabimus, & erimus ociosi spectatores. Nam sicut quondá cũ Iosaphat rex Iudæ egrederetur cõtra Moabitarũ & Ammonitarũ exercitũ, dominus mirabiliter efficiebat vt ocioso ipso rege spectatore, hostes eius in semetipsos versi mutuis cõciderẽt vulneribus, ita est structura Zuing. cœli, si eá secũ ipsa

Brẽtius ait se oppugnaturũ cœlũ Zuinglian.

Romanus sedẽdo uincit.

cōmittamus,ſua mole ruet. His mox iſta ſubijcit. Primo, Docēt cœlū eſſe domū patris, Nunquid ergo Deus pater ambulat in ea domo, an habitat in ea ſicut homines & iumenta in terra? Secundo, Cū ſit domus, inquit, ſpiritualis, nunquid eſt ſeſsionibus & deambulationibus apta? Nunquid in ea pedibus incedunt homines, angeli autem volant alis? Tertio, miratur quomodo cœlum appellare poſsimus & ſpirituale & corporale. Etenim res corporeas omnes intra 6. illos dies primos conditas eſſe. In his non inueniri cœlum Zuinglianum, ergò hoc vel non eſſe, vel alium quempiam, neſcio quem Deum, nobis ipſis fabricaſſe, aut certe alium nos habere mundum corporalem, in quo illud cœlum ſit collocatum. Quarto miratur quomodo cœlum illud noſtrum poſſit eſſe corporeū & tamen immenſum. An ne corpus aliquot immenſum eſſe poſsit? Quinto, Cum indigne feram in ſcholaſticis quod quęrunt, quid in cœlis faciat Chriſtus, an ſtet, ſedeat, ſpacietur, &c. miratur Brentius quomodo mihi ipſi exciderim, qui ipſemet dicam Chriſtū in cœlo ſtare, ambulare, ſpaciari, &c. His adijcit hoc Epiphonema, Vides itaque lector Chriſtiane, inter ædificandum correptos vertigine Zuinglianos, vacillare nutareque neque certi habere quicquam. Vertiginē autem

tem hanc ait commeritam esse pœnam, &c. Quotquot verò scripta mea de cœlo & de dextera Dei legerunt, sciunt Brentium, longè alio sensu à me proposita, calumnijs peruertere. Non commemorabo nunc quod more suo in re vsqueadeò seria contra decorum ludit admodum scurriliter. Sed bene res habet, intendat ille vires omnes ad cœlum oppugnandum, cui nos ferimus testimonium, nunquá ille hoc euertet. Innititur enim petrę immotę, Deo verboque eius æterno. Calumnia.

Ac quod nobis primò obijcit, Si cœlum est domus Dei, an ne ergo credemus Deum spaciari & habitare in domo sua, perinde vt in terris agunt homines atque iumenta? arbitraturque hæc absurda esse, & sibijpsis repugnare: pari rationi impinget illa & scripturæ sanctæ & vniuersali ecclesiæ Christi, quę semper docuit & credidit cœlum esse domum Dei & Deum habitare in cœlo. Sed & quotidiana sacrosanctaque oratione à Christo nobis tradita precamur, dicentes, Pater noster qui es in cœlis, &c. Longe ergo prudentius non obiecisset nobis ista Brētius. Dudū dixi in libellis illis meis, Attribuitur cœlū sedes vel thronus Deo, nō quod illo includatur, quasi in domo corruptibili. Infinitæ enim immensæque potentiæ Deus est, omnia implens vbique præ- Cœlum est domus patris.

ſens,omnia conſeruás: ideo autem dicitur cœlum ſedes & domus Dei,quod ipſemet Deus in verbo ſuo nũcupauit domum & habitationem ſuam,& quod in hoc(veluti in æternam recollectos patriam) ſe ſuis plenißimè & videndum & fouendis exhibebit. Verum quid pluribus opus eſt verbis? Vniuerſa ſcriptura Prophetarum & apoſtolorum concorditer cœlum & non terram, non aerem, non alias mundi partes vocat Dei domum ac ſedem. Huic compertæ veritati credunt pij ac ſciunt domum illam inhabitare Deum ipſum, Chriſtum Dei & hominis filium, angelos quoque atque beatas animas: quoduis autem horum ſua ratione ſuoque modo. Nam homines & iumenta ſua quoque ratione terram inhabitant. Ac norunt omnes habitationem Dei in cœlis nihil habere commune cum habitatione iumentorum in terris. Sicuti & homines alio modo terram nunc inhabitant, & alio modo cœlum aliquando inhabitabunt.

Cœlites nõ indigent ullo cibo uel potu.

Quantum verò attinet ad ſecundum caput quod obijcit ille, commonſtraui in reſponſione illa mea ex doctrina ſaluatoris noſtri apud Luc. in cap. 20. beatis agentibus in cœlo nihil opus eſſe cibo corporali aut ſomno aut rebus alijs eius generis, proinde apertißimũ eſſe locũ illũ cœleſtẽ, minime habere vel menſas vel lectos

lectos vel sellas, & multo minus dormitoriū, sicuti ille vocabat per ironiam, monachicum, certis distinctū cellulis. Potuisset hæc respon sio satisfacere Brentio, nisi mallet rixari & omnia sursum deorsumque voluere. Quorsum autem pertineat quæstio eius, An homines in cœlo pedibus incedant? non video, nisi forte existimet, homines in cœlo inambulare capiti bus, quando illi in rebus cœlestibus modicum aut nullum discrimen sit inter supra & infra, sicuti superius commemoraui. Cæterum respondet hic Brentio B. Hieronymus, & affirmat contra Ioan. Hieros. episc. corpora clarifi cata sanctorum in futura gloria ambulatura il lis ipsis pedibus quibus ambularunt dum in terris viuerent. Hoc si Brentio displicet, inten dat litem B. Hieron. & coniungat se Ioan. Hie ros. episcopo. Quod si affirmarem angelos alis suis (suo modo & sua ratione) in cœlo volare, quid peccassem obsecro? Quandoquidē spi ritus Dei, qui res cœlestes me & Brentio longe rectius tenet perspectas, in scriptura per Isa iam testatur & ait. Et Seraphim stabant super ipsum, erátq; singulis sex alæ, duabus obtegebant faciē suá, duabus tegebant pedes suos, ac duab. volabát. Consultius ergo tacuisset Brēt.

Quomodo cœlum nun cupetur spi ritualiter & corporalis ter.

Iam quod iste tertio loco exponit, significanter satis distinxi inter cœlum corporeū &

ſpirituale,cum dixi inter alia, Rectiſsimè docetur & ſecundum ſcripturam, Cœlum aliud quidem eſſe viſibile vel aſpectabile, quod & materiatum vocant & mutabile & corruptibile: aliud verò inuiſibile, ſpirituale,immutabile & incorruptibile ac ſempiternum. Et cũ nihilominus de incorruptibili ſpiritualique hoc cœlo vt corporeo loquor, ita me tamen explico,vt facilè appareat,non maligno & calumnijs dedito lectori, me non committere inter ſe contradictoria. Nam quemadmodum corpora glorioſa quæ in cœlis ſunt,nullum locum, corruptibilẽ videlicet,habent, & tamen cũ vera ſint corpora definitionem aut circumſcriptionẽ ſibi congruã habent, vt nõ nullibi, ſed alicubi, & certo aliquo in loco non vbiq; ſint: ita ſanè & cœlũ quod huiuſmodi capit aut cõtinet corpora,locus nõ eſt,videlicet corruptibilis,& tamẽ nõ eſt vbiq;, neq; eius conditionis vt non comprehendat ſuis terminis vera corpora, congruis quidem illis corporibus clarificatis.Iccirco locum illum, id eſt cœlum,nuncupaui corporeum,eo quod non nihil aut nullibi, ſed certus ſit locus. Adduxi ad hanc rem illuſtrandam atque confirmandam & ſancti Auguſtini doctrinam, ne quis ſuſpicaretur à nobis hic quicquam nouum & inauditum hactenus eſſe confictum. Auguſtinus enim

enim libro de ciuitate Dei 22.cap.4.docet Dei voluntate fieri posse, vt terrenum corpus attolli assumiq; posit in cœleste corpus: vbi etiam affirmat cœlum habitationem beatorũ, cœleste quidem esse, & corporeum, in quod vera corpora nostra suscipiantur. Rixetur ergo si ita libet cum Augustino Brentius. Ego ei abunde satis ad obiecta eius respondi per folium 19. & 20 Responsionis meæ nuper editę. Præterea constat nos nullum alium agnoscere Deum, nisi vnum & verum illum conditorem cœli & terræ, neq; nos vllum aliud aut nouum architectari cœlum, sed testimonium ferre cœlo quod supra nos est, & verum & antiquum cœlum est, in quod ascendit dominus noster Iesus Christus, & in quod nos ad semet ipsum assumpturus est.

Quomodo cœlum dicatur immensum.

Quarto loco fateor Deum solum esse immensum, corpora autem omnia suis locis & terminis contineri, & non esse infinita. Proinde cum cœlum dico immensum, ad hoc respicio quod amplissimum sit & sufficiens abunde excipiendis beatis omnibus. Ea amplitudo etsi suis cõtineatur terminis, nobis tamẽ videtur & dicitur immensa. Aut cur hoc ei nouũ esse videtur, qui dimissa è cœlo mola plumbea, expertus est, hanc ne intra quingentos quidem annos terram attingere posse. Inde e-

nim collegisset immensitatem cœli, nulla hominum dimensione explorari posse.

Quomodo stare & sedere & ambulare in cœlo dicatur domin.

Quod ille verò quinto loco obijcit de Christo státe & ambulante in cœlo, de eo ipse pro diuersitate occasionum distincte sum loquutus. Principio enim dũ respõdeo ad hoc, quod nobis obijcitur, An collocemus & concludamus Christi corpus in cœlũ, veluti in caueá, & an alligemus cœlo? dicimus, Non docemus corpus Christi alligatum esse in cœlo, sed dicimus vere è terris sublatũ, in cœlo nũc versari libere ꝑ ratione gloriosi corporis: ideoq; corpus eius in cœlo nec stare semper, nec sedere perpetuo, sed prout vult aut vbicunq; locorũ vult, & ratio æternæ salutis & gaudij dictat liberrime versari. Ex quibus sanè verbis intelligit quiuis, vnice nos hoc astruere his velle, Christi corpus verũ, vere in cœlo & nõ vbiq; esse: Quid verò faciat in cœlo, aut qualis sit eius cõuersatio in cœlo, id quidẽ nolle nos scrutari curiosius, ac multo minus alligare corpus eius ad ambulandum vel sedendum aliudq; huius generis. Ipse enim Dominus est, ideoq; conuersationẽ suá in cœlo prout vult, & ꝑ ratione corporũ clarificatorũ instituere potest. Nihil aũt contra decorũ suscipiũt clarificata corpora, vt ea Momus ille noster Brẽtius possit carpere. His iam minime sunt contraria, sed

Vide inferius de dextera Dei cap. 3.

con-

consentanea magis, quæ dissero contra curiosas scholasticorum quęstiones, plane inutiles, quid Christus in cœlis agat, an sedeat an ambulet? &c. Videt ergo Brentius, si modo habet oculos, me nondũ meæ doctrinæ de corpore Christi in cœlis pudere vel pœnitere, si modo eo proferatur exponaturq; sensu, quo à me allata est, non aũt eo sensu quo adducit fœdauit atq; peruertit aduersarius. Per totum certè librum pudenda calumnia leuitateq; exagitat quod dixi Christũ in cœlis, prout vult, vel stare vel sedere. In Germanico subinde repetit spatiãdi verbum, quod apud nos est ociosorũ hominum: atq; in his ita frequens & molestus est, vt nemini nõ appareat conari illum bonis nos reddere suspectos, deniq; nostram existimationem, si qua sit apud pios reliqua, imminuere omnibusq; ꝑsuadere velle nos crassos esse theologos & doctrinam nostram per omnia absurdã sibiq; ipsi repugnantẽ. Verum quod dominus noster nobis benigne est largitus, id ꝓfecto Brentius non intercipiet calumniosis suis scriptis: at existimationẽ suã apud viros prudẽtes, maximè verò apud posteros, despectã potius reddet. Intelligent isti ex hac eius actione contra nos instituta, ipsum illa ipsa correptum vertigine, qua nos laborare falso existimat, grauissimè vexari atque ro-

Spatziert im himel.

tari. Dominus ipſum ſanare dignetur.

Doctrinam noſtrã de cœlo nec craſſa ſomnia, nec alia habere abſurda, quæ Brentius *ei obtrudere contendit.* CAP. III.

Obiectum Brentij.

MAgno iactitat hiatu Brẽtius, ſe doctrinam propheticam & apoſtolicam illuſtrare & propugnare cõtra Ariſtotelicos philoſophos, & cõtra eos qui craſſa habeant de rebus cœleſtibus ſomnia, ac inter alia, Bullingerus & Martyr cogitationes, inquit, pueriles & ſua habent eaq; craſsiſsima ſomnia. Fingunt enim vltra cœlos viſibiles eſſe latiſsimá quandam regionem, eamq; locorum interuallis diſtinctá, quam dicas forte Campum Elyſium, Ariſtotelis regionẽ cœlúmue Thalmudicum aut Mahumedicum. Et addit his, Requirit in me homine ſene & theologo Bullingerus (egregium ſcilicet grauitatis exemplum) ſenilem modeſtiam & grauitatem theologicam, ſed iudicent quæſo omnes pij num ego quicquam in leges modeſtiæ & grauitatis peccauerim, quod eum qui puerilibus & fictitijs ſomnijs de externis corporalibus & localibus Chriſti & ſanctorum in cœlo deambulationibus, in nos inſultat, tantaquȩ in me vehementia exoritur, vt eum etiam caniciem meam vellicare non pudeat, riſu excipiam alacriore? Si verò nihil Chriſto obſtat quo minus

nus

nus cum patriarchis & reliquis sanctis suis in cœlo deambulet, quid obstaret, quo minus etiam cum matriarchis & uirginibus suis in cœlo saltet ac choream ducat, præsertim cum incredibili lætitia perfundantur, &c.

Quomodo scripturis utatur Brẽtius in hac cõtrouersia

Cæterum si id quod verum est simpliciter fateri velim, confinxit sanè Brentius de suo (nisi fortè D. Lutherum in consortium admittere libeat) suam de cœlo vbiquario doctrinam, ad quam deinde ornandam astruendamque corradit vndique, & dissidentia licet, accommodat tamen suo illo figmento, & mox largè prędicat apud simpliciores omnia sua se illa habere ex scriptis propheticis & apostolicis. Accidit illi quod ijs euenire solet, qui palatum habent absynthio infectum. Quicquid enim gustarint, resipit absynthiũ, ac deierarent esse absynthium. Ita enim & Brentius acerbissimam de cœlo opinionem semel imbibit: ergo quæcũq; iam etiam in scripturis legit, deierat illa illustrare astruereque doctrinam ipsius de cœlo vbiquario: vtcunq; dissideant à proposito ex diametro. Et quidẽ nullum hactenus vidi aut audiui testimoniũ scripturæ disertum, quod allatum à Brentio approbet cœlum, sedem æternę felicitatis esse vbique, & non supra nos in excelsis.

Cupit quidem ille nobis obtrudere pueri-

Cuius sint pueriles cogitationes & somnia crassa?

les cogitationes & crassa de cœlo vero somnia, sed nusquã in libris nostris talia inueniuntur: in Brentianis verò leguntur. Confingit enim per calumniam, absurda illa, & affirmat ea consequi ex nostra doctrina, atq; eo modo ea q̃ ipsius sunt, nobis quasi nostra sint affricat attribuitq́;, quę reuera nõ agnoscimus pro nostris, ipsiq; illa oïa vt absurda abominamur.

Nostrã doctrinam de cœlo ueterem esse doctrinam.

Sed breuibus agemus, ideoq; quærimus à Brentio, An non à rerum initio omnes in ecclesia Dei fideles crediderint post hanc vitam & extra hunc mundum, aliam esse vitam, & aliud seculum, nimirum in æterna illa nostra patria, quæ sit locus certus & mansio felix, parata nobis à Christo, vera vtique felicitas & vita sempiterna? Hoc si negat aduersarius, contradicetur ei in vniuerso orbe Christiano ab omnibus fidelibus, qui attestabuntur fidem, quam modo commemoraui breuibus, verissimam firmissimamq; perstare in perpetuum. Si verò fatetur vera esse quæ proposuimus, vt sanè falsa esse nequeunt, constat aũt nostram doctrinam & fidem de cœlo nullam esse aliam, quàm illá ipsam quam modò recensui, cur itaq; fingit aduersarius nos nouum architectatos esse cœlũ? aut quare nominat communem illá fidelium fidẽ, puerilem cogitationem & somnia crassa? Possem hic, quod prudẽtio-

tiores cernũt omnes, aduerſariũ tractare pro merito, ſed mihi tempero, dominumq́; oro vt ipſum illuminet & à nimium ſubtilibus ſomnijs cœli vbiquarij liberet.

Fingunt, inquit, vltra cœlos viſibiles eſſe latiſsimam quandam regionem eamq́; locorũ interuallis diſcretis diſtinctá, &c. Ad quæ dudum illi reſpondimus ac diximus, Interſtinguimus inter præſens & futurum ſeculum, ac illud maximè volumus aſſerere cœlum beatorũ locũ eſſe certũ ſeparatũ & diſtinctũ à corruptibilibus illis rebus inferioribus, nec eſſe apud nos in corruptibili mundo, neq; vbiq;, ſed ſuperius loco ſuo. Quoad rationem verò modũq; habitationis beatorũ, nolumus interſtinguere curioſius, neq; quęrimus quomodo cœlũ in diuerſas diſpoſitũ ſit manſiones. Sufficit nobis, quod certũ locũ eſſe nouimus. Intelligemus aliquádo myſteria vel arcana cœli, q̃ modo ignoramus, cũ nos dominus ad ſe in cœlum ſubuexerit. An alia aut ampliora vel planiora requiret à nobis Brẽtius? Hiſce finibus ſeſe continuit & Auguſtinus, qui in libro de fide & ſymbolo vlterius progredi noluit.

An cœlum in plures diſcretas diſtinguatur habitatiunculas.

Et nunc quidem cœlum cui nos teſtimonium ferimus, nuncupat Brentius contumelioſe & per ironiam regionẽ Ariſtotelis, antea confinxerat nos noſtram de cœlo doctrinam

Doctrinam noſtram de cœlo non eſſe petitã ex Ariſtot.

mutuo ſumpſiſſe à ſophiſtis. Verũ retudimus hoc eius cõmentum in reſpõſione noſtra fol. 11. vbi præterea monuimus doctrinã hanc noſtram, non eſſe petitam ex vllis humanarum cõmentationum lacunis: ſed pergit ille Ariſtotelem nobis nihilominus obtrudere, quaſi in ijs illum ſequamur in quibus à Brẽtio diſsidemus, maxime in doctrina de loco & de cœlo. Hoc accidit Zuinglianis, inquit, quod ijs qui propter viſus debilitatẽ perſpicilia ſibi imponunt. His enim omnia quæ vident, eum referunt colorem, quem offert perſpicilium. Poſteaquá ergo ſibi impoſuerunt perſpiciliũ mutuo acceptum ab Ariſtotele, omnia quæ vidẽt ipſis ſunt Ariſtotelica. Profundit huius generis per vniuerſum librum ſuum vana futiliaque quamplurima, & impudenter quæ vult loquitur. Nam quàm inique nobiſcũ agatur, dum doctrina noſtra de cœlo ad Ariſtotelem refertur, inde poſſunt lectores modeſti colligere, quod antea diſerte aduerſario dixi, Nihil ſolidi intellexit Ariſtoteles cum nonnullis ſuis philoſophis, de æternitate & de cœlo Chriſtianorum, ſupra omnes viſibiles cœlos, quos ipſe duntaxat nouit, cõſtituto. Dicebat ille extra cœlum eſſe nihil. Nos verò credimus ibi non nihil eſſe, ſed patriam noſtram. Verùm quid mihi negotij cum Ariſtotele?

Iſtis

Iſtis modò adijcimus non Ariſtotelem, ſed ipſum Chriſtum dominum noſtrum Cœlum appellauiſſe locū. Proinde ſumus in hoc dogmate diſcipuli Chriſti domini, non philoſophorum, non eruditi in ſchola huius ſeculi, ſed in ſchola ſpiritus ſancti: Perſuaſumq́; hoc ſibi Brentius teneat, nos in cauſa Chriſti fidei que & ſalutis noſtræ non alios agnoſcere præceptores ac doctores, quàm ipſum Chriſtū dominum cum ſanctis ſuis prophetis & apoſtolis. Sicubi verò & philoſophi & doctores eccleſiæ vera & non contraria ſcripturis proferunt in medium, minime ea aſpernamur, ſed cum gratiarum actione, eorum vtimur laboribus. Ioānis 14.

Ac Ariſtotelem quidem ipſum adeò non contemnimus, vt agnoſcamus, ipſi maxima à Deo dona eſſe collata, eſſeq; virum eruditione multijuga admirandum & incomparabilem, eiusq́; libros in philoſophia luculentam habere vtilitatem. Vnde ne illorum quidem operam damnamus, qui in eo illuſtrando explicandoq́; fideliter laborant, vt quæ in ipſo vtilia ſunt, à ſtudioſis rectius faciliusque percipiantur. Sed ea de re nunc non agam pluribus. Ariſtotel.

Iam quod ille Cœlum noſtrum ait referre campum Elyſium Cœlumq́; Thalmudicum Cœlum noſtrū nō eſſe ethnicū Iudaicū Turcicū cœlū.

&Mahumeticum,calumniam rursus adhibet, & luculenta nos afficit iniuria. An non prius illi disertè dixi, Sciat ille semel nullum à me fabrificari Cœlum sophisticum aut scholasticum,nullum cœlum Thalmudicum vel Mahumeticum,nullos denique fingi campos Elysios, aut paradisum in alio seculo terrestrē, aut Chiliasticū, aut μακάρων νήσους, sed asseri à me orthodoxe Christianum Cœlum,illud ipsum & non aliud,quod ab initio supra nubes in excelsis,electis suis parauit Deus, & quod patefecit nobis Christus morte resurrectione & ascensione sua in Cœlum, vt in illo & cum ipso viuamus vita cœlesti in sempiternum. Ergo nullas fingo hic cum Iudæis & Turcis voluptates delitiasúe corporales. Nihil disputo curiosius de ingressu aut egressu,aut etiam de colloquijs & de ambulationibus Christi & sanctorum in cœlestibus,&c. Et quanquam hęc illi planè pleneq; exposita sint dudum,nō veretur tamē ille nihilominus nugis illis suis futilibus molestare perturbareque Dei ecclesiam.

De choreis cœlestibus.

Quinimo repetit hic quoque scurriles ineptias de sanctis in Cœlo saltantibus, & nunc quidem impurius impudentiusque quàm antea,quod ipsum iam Christum dominum inducit in chorea illa sua cœlesti etiam saltātem.

Nec

Nec eſt quod ſe excuſatum exiſtimet, quaſi non ſeriò hæc proponat, ſed duntaxat per riſum ad diuexationem confuſionemq; noſtrã. Intelligunt enim viri pij, quàm nulla cum neceſsitate, nullo cum decoro, nullóue cum fructu, imò inſigni cum contumelia & iniuria nõ dico iam Chriſti & ſanctorum ſed noſtra, hoc contra ius & phas, faciat. Infamiam enim nobis contendit inurere, quaſi ea ſentiamus quę non ſentimus, imò abominamur, & quaſi ea doceamus quæ iſte conſequi ex noſtra doctrina confingit, quæ tamẽ minime conſequũtur.

Quod addit me in illum irruere hoſtiliter atque adeò vt ne caniciei quidem eius parcã, ſed eam atrociter conuellam, Moroſe profecto & nullo iure ita quæritur. Relego enim lectorem ad folium reſpõſionis meę 19. vbi hoc à me maleficium arbitratur admiſſum. At nihil ibi à me factum atrocius aut dictum virulentius inueniet. Dixi, Itâne Brentius in re vſque adeò ſeria & cœleſti, in negotio ſpei & ſalutis noſtræ, iocatur an ſeriò loquitur? Syncere ne mecum an ſophiſtice agit? Nũquam ego tale Cœlum, quale ille fingit, extruxi. Nunquam euincet illa quæ colligit ex mea conſequi de Cœlo ſententia. Proinde in homine ſene & Theologo, & in re non ludicra, ſed maximè ſeria & cœleſti, modeſtiam ſenilem & Brentij cani conuulſi.

grauitatem theologicam requiro. Hæc ſunt quibus ille canos eius impiè à me conuulſos queritur. Quando verò admonitio illa mea non inamica aut immodeſta minimeque acerba, tantopere ipſum vrit & angit, apparet ſanè ipſum delicatis admodum eſſe auribus. Non aſſueuit fortè vir magnus, vlla in re monitorem ferre. Hinc illæ lachrymæ, nimirum quod meam moderatam admonitionem tam impatienter & indigne fert. At prodeſt admoneri aliquãdo homines, etiam graues, quo minus impingant, & ne quid nimis. Fallitur Brẽ-
Leuit. 19. tius ſi arbitratur ſe ſolum eſſe canum. Quod ſi iuxta domini legem aſſurgendum eſt cano capiti, cur ipſe apud ſe non expendit eos quoque canos & Chriſti miniſtros eſſe, quos ipſe indignis modis & excipit & tractat, & quibus ſemetipſum ſua libidine imponit Dominum vexatorem. Cæterùm præteritis illius cachinnis & vexationibus referimus nos ad 22. fol. noſtræ Reſpon. vbi abunde ad omnia ea reſpõſum putamus, quæ ille profundit ad conſeruandam noſtram de cœlo doctrinam, quaſi ſtolida & abſurditatis refertiſsima ſit. Neque illis in præſenti quidpiã adijciam. Spero enim doctrinam noſtram de Cœlo incolumem & victricem veritatis præſidio perſtare adhuc & firmam manſuram perpetuò.

Do-

Doctrinam Brentij de Cœlo nec planam esse nec solidam, sed impeditam obscuram incertam sibiq; ipsi repugnantem.

CAPVT V.

POsteaquam verò à syncera doctrina nostra absterſimus maculas quibus aduerſarius ipſam conatus eſt conſpurcare, conſequenter, fide bona breuiterq; colligam Brentij doctrinam de Cœlo, vt inde colliqueſcat, quàm ſit ea impedita obſcura incerta ſibique repugnans.

Indigniſsimè fert ille Cœlum illud ſuum à me appellari vbiquarium, arbitraturque hoc ſcomma (ita enim appellat) in ipſum redundare Deum, vt vocetur poſt hac Deus vbiquarius. At hoc nomine compellandum eſſe dominũ Deum noſtrum, licet ingenue agnoſcamus ipſum eſſe vbique, nũquam animum ſubijt. Ipſe viderit quo cum fructu' primus hoc nomen inuenerit. Quod ſi pudet ipſum cœli ſui vbiquarij & non vult hoc nuncupari vbiquarium, quare itaque oppugnat noſtram doctrinam de cœlo, non vbiq; diffuſo, ſed certo in loco conſtituto? quare ad eum modum de cœlo diſſerit ac ſcribit, vt nõ poſsimus non nuncupare Cœlum vbiquarium? Negare enim non poteſt, docere ſe Cœlum nullo eſſe loco certo, ſed vbique in Cœlo pariter & ter-

Cœlum ubiquarium Brentij.

ra vbicunque eſt Dei maieſtas & gratia.

De habitatione Dei.

Multa nulla neceſsitate diſputat de habitatione Dei. Neque enim negamus Deum infinitum & nullibi cõcluſum eſſe, ſed credimus ipſum conſeruare omnia, penetrare vniuerſa, ac eſſe vbique. Ita enim teſtatur ſcriptura & docet nos ſignificantiſsime: quod autem cœlum locus quietis beatitudinisq́ue, paratus à Deo, excipiendis creaturis felicibus, propterea etiam ſit vbique, tam non ſequitur, quàm quod cum ſcriptura dicit fideles eſſe in Deo, iccirco vbiq; ſint, ſicuti Deus eſt vbiq;. Solus Deus infinitus eſt, neque vlla vel in cœlo vel in terra creatura eſt, quæ & ipſa ſit infinita. De qua re nolumus in præſenti copioſius diſputare, libenter continentes nos in ea moderatione, quam ſcriptura nos docet. Ea Cœlum Deo attribuit habitationem, quam & hominibus communicare eoq́; electos ſuos ad ſe velit recipere. Proinde credimus, Quod quemadmodum Deus in verbo ſuo teſtatur, Cœlum inhabitet, ſuo tamen modo, & ſicuti ad plenam gaudiorum ſocietatẽ ſaluandis eſt neceſſarium, quodq́ue nos etiam in cœlum recipiat, vt cum ipſo æternùm habitemus, noſtro tamen modo qui creaturæ ſumus, finitæ non infinitæ. Ac licet aduerſarius dicat ſcripturam, quando Deo in cœlis habitationem attri-

attribuat, balbutire nobiſcum humano quodam & pædagogico more, neque negemus nos ſcripturam ſæpè res diuinas rebus adumbrare humanis,indubitatum eſt tamen has loquutiones, Eſſe Cœlum, & Cœlum eſſe domum & habitationem Dei, ac electos ſuſcipi in cœlum,in quo Deum videant,ſicuti eſt, veriſsimas & proprijſsimas eſſe loquutiones,neque aliter quàm vt ſonant interpretandas. Id quod etiam cõmonſtraui in Reſponſione mea fol.45. & 46. Ita verò Cœlum perpetuo manet habitatio & certus beatorum locus, ut quamuis Deus infinitus & vbique ſit,domus tamen eius in qua ſancti habitant,non ſit infinita.

De habitatione Chriſti.

Abſolutis iſtis accedit Brentius ad diſputationem de angelis &eorum habitaculo,in qua ita ſibi ſuisq; iterum indulget placitis,ut prorſus diſſentiat ab omnibus alijs cum veteribus tum neotericis,paucisſimis demptis ſcriptoribus.Mox verò diſſerere incipit etiam de habitatione vel habitaculo Chriſti,& inter cætera,Cum quæritur, inquit, Vbinam Chriſtus nunc cum corpore ſuo commoretur? non eſt reſpondendum, quod cõtineatur localiter in loco quodam circumſcriptus,ſed reſpondendum eſt,quod ſit apud patrem in domo patris ſui.Sed vbinam eſt pater? Vbi eſt domus pa-

tris? Num hæc ſunt certis locis circūſcripta? Nihil verò minus. Certū eſt enim, quod Chriſtus isq; totus, non diuinitate tantum, verum etiam humanitate ſua cōmoretur tam in Cœlo quàm in terra atq; adeo vbicunque eſt pater ipſe. Et quia Chriſtus aſcendit in Cœlum, & habitat in Cœlo, vident pij omnes, quàm late pateat Cœlum illud, in quo Chriſtus commorari dicitur. Oſtendimus autem nos paulò antea, tametſi Deus pater ſit immenſus & vbique, habitationem tamen ſanctorum & veri corporis Chriſti non eſſe vbique. Rurſus quærit Brentius, dum cœlum ſuum illuſtrat, & ait, Vbinam habitat pater? Habitat in luce inacceſſa. Quæ eſt autē lux illa inacceſſa? Profunditas ſapientiæ & cognitionis Dei. Lux ergo illa ibi eſt, vbicunque Deus eſt, ſiue in cœlo ſiue in terra, &c. Et iterum, Non eſt cogitādum de incorporeo & ſpirituali Cœlo, quod ſit certus locus ſupra omnes cœlos, in quo ſancti agāt corporaliter, ſed quod ſit regnum cœleſte, quod nec locis nec locorum interuallis, ſed maieſtate Dei definitur, vt vbicunque Deus ſua maieſtate regnat ibi ſit incorporeū & ſpirituale illud cœlum. Item, Deus erit omnia in omnibus. Si autem Deus erit in nobis omnia, erit ergo & locus noſter. His accinit ſecurus de victoria ſuum epiphonema, & dicit,

ſe

ſe à parte ſua habere prophetas & apoſtolos, & proinde non timere quid ſibi faciat homo, quid rideat, quidúe naſo ſuſpendat adunco.

Expendat verò quiſq; apud ſemetipſum diligenter, obſecro, quale nam doctrinæ genus ſit, quod nobis in præſenti de Cœlo Brentius propinat, quàm firmum vel infirmum, quàm certum vel incertum, aut quàm probe cum ſemetipſo congrüat, vt vel hinc colligat an tutò tali ſe poſsit credere ludo. Ac initio quidem nihil vrget & repetit ille feruentius, quàm Cœlum non eſſe locum certum. Quod ſi ipſi demus, quod ille vrget tantopere, quid obſecro effecit operæprecium? Age itaq; ſit Cœlum non certus, ſed incertus locus. Ergone qui aſſumpti ſunt in cœlum & ſubuehuntur adhuc in cœlum, in nullum certum locũ perueniũt? Si autem in cœlum quod ſupra nubes eſt, non perueniũt, quo obſecro perueniunt? Ergo ne migrant in Vtopiam, in qua hoſpites excipit Vtis? Vbi itaque nunc eſt ſpes de certa fideliũ ſalute in cœlo? Diſſoluta eſt per doctrinam Brentij. Verum non ita docuit nos dominus noſter Ieſus Chriſtus. Voluit is nos potius ſcire certò, certiſsimum nobis locum in domo patris eſſe paratum, in quem ipſe prior præceſſurus, nos deinde ad ſe recepturus ſit. Sicuti videre eſt apud Ioan. in cap. 14. In ea potius

Expenſa Brentij doctrina de Cœlo.

doctrina & spe certa perseueremus, credentes fidelibus per Christum paratum esse locum certissimũ, & in hunc ipsos recipi certò.

Forte Cœlum iã more poetico factum est Deus.

Deinde eximit ille Cœlũ omnibus suis terminis, & definit ipsum simpliciter maiestate Dei, vt Cœlum tam longè lateq; sese expandat, quã late patet maiestas Dei. De quo mox quædam subijciemus. Expandit præterea & alia ratione Cœlum per omnia, dum affirmat Deum inhabitare lucem ad quam nemo accedat. Porrò lumen hoc esse ait profunditatem diuinæ sapientiæ. Huc enim detorquet ille apostoli verba ad Rom.11. Proinde habitant in profunda Dei sapientia, iuxta Brentij doctrinam, quotquot Cœlum inhabitant: & sunt vbique sicuti lumen & sapientia Dei vbique sunt. Sed cum interim audiamus ad lucem illam neminẽ accedere, quomodo obsecro sunt vbiq;, qui in ea luce, vtpote hominibus inaccessa, non sunt, per quam esse debebant vbiq;? Et si ibi Cœlum est, vbi Dei maiestas est atq; gubernat, certum est autem Deum maiestate sua punire impios apud tartara, ergóne cœlũ erit in inferno? Erit sanè Deus omnia in omnibus, sed ea de causa Deus nõ erit loco cœli. An Cœlo nihil opus erit deinceps, cum modo secundum Brentium Deus etiam factus sit Cœlum? Interstinguit scriptura & fides nostra

Deus omnia in omnibus.

ſtra inter Deum & Cœlum, & nõ commiſcet Cœlum cum Deo, vt Deus ſit cœlum, locus inquam habitationis noſtræ: ſicut hæc commiſcet Brentius imprudẽter. Teſtatur aũt ſcriptura diſertè nos Cœlum inhabitaturos, vt locum beatitudinis, & ibi viſuros Deum, ſicuti Iob dixit, Et rurſus (à reſurrectione) circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, &c. Atque ad hunc modum orthodoxe & ſignificantiſsime expoſuit nobis hoc negotium beatus Ambroſius, qui De fide reſurr. dixit, Vbi ergo Dei habitatio eſſe debuit, niſi in regno Dei? Vbi eſt autem regnum Dei, niſi in cœlis? Ibi omnis eccleſia cum illo erit. Ad eundem modum docuerunt de hac re omnes alij orthodoxi eccleſiæ doctores. Vnde pij in hac firma & clara veritate perſeuerant. Quod verò apoſtolus dicit, Deum omnia futurum in omnibus non huc pertinet, quod omnis rerum vel creaturarum tollenda ſit differentia, ac inter ſe commiſcenda & in deum redigenda, ſed quod Deus futurus ſit omnium ſanctorum in Cœlo vel in æterna beatitudine ſatietas abundantiſsima, adeo vt poſt ipſum nihil ſint amplius deſideraturi: quemadmodum & Dauid dixit, Notam mihi facies ſemitam vitæ: ſatietas gaudiorum in cõſpectu tuo eſt, & iucunditas in dextera tua in perpetuum, &c.

Pſalmo 16. Iactitat quidem magno hiatu Brentius ſe habere à ſuis partibus prophetas & apoſtolos: verùm lector prudens ſaltem ex hoc apoſtoli loco, quo abutitur ille tam turpiter, intelligit ſua ipſum opinione prorſus decipi.

De habitaculo ſanctorum.

Rurſus quærit Brentius, Vbinam futuri ſunt ſancti? ac excipit, Apud Chriſtum, qui dicit, Aſſumã vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis. Deinde ſubdit, Vbi autẽ eſt Chriſtus? Reſpondet, Apud patrem. Erimus ergo & nos apud patrem. Vbi autem pater? Ibi eſt, vbi nos erimus, &c. Quem verò hæc reſponſio non admonet eius, qui rogatus quando nam veniſſet? reſpondit, Quando ingreſſus ſum portam. Et iterum rogatus, quando verò ingreſſus es portam? excepit ille, quando veni. Quare non reſpondet hic Brentius, quod reſponſum oportuit, & ex præmiſsis conſequitur. Cæterùm abhorret ab ea reſponſione, itaque de nouo quæſtionem inſtituit aliam, & ait, Quid ergo? Num & ſancti ſunt vbique & implent Cœlum & terram, ſicut Chriſtus? ac reſpondet, Sanctis data eſt gratia, ſicut ſcriptum eſt, iuxta menſuram donationis Chriſti. Non igitur ſimus in præſentia & in hoc ſeculo de ſanctorum in altero ſeculo ſtatu ſoliciti, &c. Quis autem hic non videat fugitare

ad

aduersarium, ne concludatur, & arte interim fugam dissimulare, denique singulis auditorum cupientium in præsenti certum aliquid videre, discere, habere, verborũ offundere nebulas? Quando enim paulò ante apertè dixit sanctos esse cum patre & cum Christo, & in tota hac causa nihil magis vrgeat quam Christum, qui est in Cœlo, esse vbique, quare itaque hic tergiuersatur, quare non libere fatetur, quod ex concessis vel datis omnino consequi oportet, sanctos quoq; in alio seculo vbique futuros. Hoc verò cum apertè non audet asserere, reddit profecto suspectam suam illam doctrinam de Cœlo vbiquario hactenus propositam atq; defensam.

Et quidem quomodo poterit vir bonus se ex hac extricare controuersia melius, quam si sentiat Christum vt hominem verum, licet interim sit Deus etiam verus, corpore suo vero & clarificato, & sanctos quoque iuxta modum doni accepti à Christo, inhabitare cœlum cum gloria, eoque in loco vt in habitatione cœlesti, contineri & non per omnia diffundi? Quibus deinceps sanè non incommodè adiungeretur, pios curiosius porrò non scrutari in statum sanctorum, qualis is sit in alio seculo, verùm expectare magis, quando illuc translati, corã omnia videãt, quæ nunc nõ ita *Plana huius rei explicatio.*

exactè perſpiciunt. Rurſus autem intelligunt paulò exercitatiores in ſcripturis locum apoſtoli ad Epheſios quarto accipiendum non de gratia & donis gloriæ futuri ſeculi, ſed de ijs quibus in eccleſia & in præſenti hoc ſeculo fideles ſuos locupletat dominus. Vnde iterum colligit aduerſarium ſcripturis propheticis & apoſtolicis de quibus toties & tantopere gloriatur, detortis quidem ijs confidenter admodum abuti.

In cœlo Brentij inueniũtur ſatan & angeli eius.

Porrò dum ille progreditur in ornando illuſtrandoque Cœlo illo ſuo vbiquario, huc tandem recidit, vt apertè dicat, Et vt Zuingliani iterum habeant, quod pro ipſorum ingenio exagitare poſsint, Cœlum illud ea eſt conditione, vt in eo non tantum ſancti homines verumetiam ſatan & angeli eius inueniantur. Hæc ille. Cupit fortaſsis Brentius hoc veluti paradoxo, oſtentare ingenij ſui acumen: ſed perpendiſſet interim apud ſe, prudentiores poſthac non magnopere hoc Cœlum curaturos, in quo inueniuntur & cacodæmones, atque ita ſemetipſum infamare & deſpectiſsimum reddere ſuum illud Cœlum. At quis in præſenti non videat, nos iam Romanos vincere ſedentes id eſt, nobis veriſsimè Ioſaphati illam deberi victoriam, quam aduerſarius ſibi in initio diſputationis de Cœlo pollicebatur

tur

tur? Scriptura certè sacra non solet ita vt Brentius, loqui de Cœlo neque hoc vllis prę-ter Dei amicis communicare. Sanctus Ioan-nes grauiter pronuncians, Apocal. vigesimo-secundo capite, ait, Foris canes sunt, & venefi ci, & impudici, & homicidæ & idololatræ, & omnes qui diligunt & faciunt mendacium. Quandoquidem verò satan mendax est, & pa ter mendacij omnisque mali, quomodo hic obsecro inuenitur in cœlo? Foris ait Ioannes, sunt canes, &c. Et si Deus voluerat inueniri in cœlo satanam & angelos eius, cur hos oro præcipites egit, sicuti beatus Petrus testatur, in imum inferni? Si item Cœlum iuxta descri ptionem Brentianam, lux est inaccessa, dicat nobis Brentius, quale nam priuilegium præ omnibus alijs acceperit habeatque principes tenebrarum, qui in luce & Cœlo inueniatur? Sin uerò Cœlum est profunditas, vt iterum asserit Brentius, diuinæ sapientiæ, quomodo in diuina illa sapientia, inuenitur summa stul titia, diabolus inquam cum suis? Rursus, Si ibi est Cœlũ, vbi est gratia Dei, Quomodo obse-cro in Cœlo inuenitur, qui & est & manet in summa Dei ira atq; indignatione? Profecto sicut satan in veritate non stetit, ita in Cœ-lo inueniri nunquam poterit. Clamet iam ad rauim vsque aduersarius, garriat, perstre-

Augusſt. de ciuit. Dei li bro 20. ca. 22.

pat & pro more suo infinita vanitatis verba profundat, nunquam sanè probabit satanam eo inueniri loco, vnde deturbatum rectè credimus.

Brentij canon quomodo intelligendum in scriptura supra & infra.

In hanc insaniam uidetur ruere aduersarius, quod sibi permittit nimium. Fingit enim sibi nescio quas regulas interpretandi scripturas, non compositas ad antiquam simplicitatem & ad sensum pietatis & fidei, sed sui proprij arbitrij. Cuius quidem generis est, quod ait, Cum sermo est de rebus spiritualibus & cœlestibus, hæc vocabula *SVPRA &* INFRA vsurpantur quidem ex humana consuetudine, non definiuntur autem locis, sed dignitate indignitate, maiestate abiectione, gaudio horrore, lætitia tristitia & alijs id genus. Quid verò hac sua regula non peruertere queat aduersarius? Et si nos recipiamus ex traditione Brentij Supra & Infra, ita vt fingit, vsurpari in scripturis, haud difficile illi erit eludere omnia testimonia scripturæ, quæ attestantur Cœlum esse sursum, infernum esse deorsum, aliaquę huius generis plurima. Proinde sicut in responsione nostra antea diximus ita nunc repetimus, relegare nos huiusmodi phantasias ad Pyrrhoniorum Scholam.

Consignauimus hactenus, & quidem breuibus,

uibus, Brentij doctrinam de cœlo, eamq; pio lectori excutiendam permitto. Spero autem cordatiores omnes iam iá intellexiſſe, obſcura abſurda, inſyncera & impexa eſſe quæcunq; ille de ſuo in hoc attulit negotio, ac proinde omnes vbiquario eius cœlo relicto, agnituros verum illud & antiquum cœlum, quod eſt in excelſis, & in quo eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus. Redeo iam ad elucidandam defendendamque reſponſionem meam.

Verba ſaluatoris noſtri Ioan. 14. In domo patris mei. &c. intelligenda eſſe de certo loco beatorum qui ſupra nos in cœlis eſt. CAP. V.

AD confirmandam meam de cœlo ſententiam, quod Cœlum locus ſit etiam ab ipſo appellatus domino, adduxeram ex euang. Ioá. verba ſaluatoris noſtri, In domo patris mei manſiones multę ſunt. Et ſi abiero ad parandum vobis locum, &c. Brentius verò vt clara Domini verba obſcuraret, & ex manibus meis extorqueret, negauit ea ſimpliciter, vti ſonant, exponenda eſſe de loco, adiecitq;, ipſos etiam interpretes veteres non de loco intellexiſſe, ſed de gradibus beatitudinis & de præmiorum differentijs. Ea occaſione in medium adduxi aliquot veterum interpretatio-

Verba ſaluatoris Io. 14. ſonare de certo cœli loco ſupra nos.

nes, exponentium illa non tantum de prǫmiorum diuersitate, sed etiam de loco, quod inquam in cœlo supra nos sit beatis parata mansio. Vbi verô sensit aduersarius, se causa cecidisse, & ita comprehensum esse, vt nullibi vllum pateat ipsi effugium, arte sophistica, mihi conatur inuertere disputationis statum, postulans modo probem quod in cœlo sint certa loca & habitacula, in quib. Christus & electi eius motione physica eant & redeát, &c. At dudum illi responsum est, qua ratione dicamus cœlum esse locum certum. Et verba saluatoris nostri, In domo patris mei mansiones multæ sunt, clara sunt. De quibus abunde dixi in Responsione mea fol.27. Nulla itaque probatione opus esse video copiosiore. Neque quæstio est de ijs rebus potissimum, de quibus nouam probationem postulat aduersarius: sed de eo quǫritur, An aliqui veterum doctorũ, verba domini, In domo patris mei mansiones multæ sunt, exposuerint, non tantum de diuersitate præmiorum, sed etiam dixerint cœlum quod supra nos est, locum esse certum beatis ad æternam felicitatem participandam adaptatũ. Spero autem ǫquum lectorem agniturum, quod adductis à me S. Cyrilli Augustini & Hieron. testimonijs, id quod mihi probandum sumpseram, euidẽter satis comprobasse.

Cumq;

Cumq; hac in causa adductus sit etiam locus apostoli ex 1.ad Thessal.4. cap.non admodum ingenuum hic se exhibet aduersarius. Dicit enim, Certè si vrgeas τὸ ῥητὸν Pauli, sicut vrgetur nomen loci & mansionum, sancti nō erunt in cœlo vestro empyreo, sed in nubibus & in aere. Dicit enim Paulus, Rapiemur obuiam Domino. In quem locum? Non ait in cœlum, sed in nubibus in aera. Et addit, Et sic erimus semper cum Domino. Quomodo sic? In nubibus videlicet &, in aere. Rectè verò ipse mox talem interpretationem vocat iucundum phantasma. Nihil enim est aliud quàm tergiuersatio phantastica. Dum Paulus ait sanctos Christi venturos obuiam in nubibus, significat vtique non substiturum in nubibus. Nam in eas descendit è cœlo, loco beatitudinis, vt absoluto iudicio, cum sanctis in vnum cœtum congregatis, iterum redeat in cœlum, vnde descendit in nubes, & in quod ascendit dum in gloriam patris intrauit. Mansuri ergo habitaturiq; sunt cū ipso sancti in illo ipso cœlo, & non in nubibus. Quemadmodum etiam commonstraui fol. 37 Respons. meæ. Tractat eundem locum & Augustin. libro de Ciuitate Dei 20. capit. 20.

Sancti cum Christo nō in aere aut nubibus sed in cœlo habitabunt

Interim ne victus videatur aduersarius, laxis in nos fertur habenis, accusatq; vos teme-

Quis iure alterius accuset temeritatem.

ritatis omnium maximæ, quasi nulli vnquam visi sint Zuinglianis magis temerarij. Verum si de temeritate conqueri oportuerat, quis iustius nobis cõqueritur de Brentio? Hic enim pertinaciter non tantum hoc oppugnat, quod hactenus ab omnibus fidelibus pro comperto indubitatoq; creditum est, cœlum quod supra nos est, & infernum qui infra nos est, loca esse certa beatorum & infelicium, sed insuper etiam temeritate omniũ maxima conatur ipsi domino verba sua inuertere aliterque interpretari, quàm sensus ipsorum ferat simplicitas. Nam cum Christus nobis commonstret, Domum patris sui ac vniuersa interim scriptura passim hanc domum dicat esse cœlum, quod supra nos est, Christusque addat in domo illa mansiones esse multas: denique si abeat, paraturum se nobis locum, & rediturum mox, assumpturumque nos ad ipsum, vt vbi ipse sit, ibi nos quoque simus futuri, audet tamen ille contra tam perspicuam veritatem affirmare non esse tales mansiones, neque locum supra nos in cœlo, in quo sancti habitent corporaliter. Nos verò gratulamur nobis, & Deo gratias agimus, qui illa de re, nos erudierit tam luculenter. Si Brentio in hac causa fauerent verba domini vsqueadeo perspicua & & euidẽtia, quos ille ageret triumphos, quàm

petu-

petulanter noſtris inſultaret capitibus? Perſiſtimus ergo in veritate clara, nobis à Chriſto tradita, ſcientes illum, per quem conditum eſt cœlũ & terra, exactiſsime tenere, locus ne ſit in cœlo ac manſiones, an nullæ ſint, cumque diſertis verbis teſtatus ſit eſſe manſiones, & eſſe locum paratum, certiſsimum eſt indubitatum eſſe eius teſtimonium, ac fallere prorſus neminem.

Conatus eſt quidem ille priori libro ſuo contra me edito, hanc claram domini lucem obſcurare figurata interpretatione, quemadmodum nunc quoque in poſtremo ſuo libro loquitur neſcio quid de verbis mutuo ab hominibus accipiendis. Cæterum cum ipſe nobis dominus verbis planis ſignificátiſsimiſq;, denique ſenſu perſpicuo explicarit & atteſtatus ſit eſſe in cœlo manſiones & loca excipiendis fidelibus parata, non video quæ neceſsitas iubeat nos alia verba mutuo ab hominibus accipere. Nondum ſanè ad inopiam redactus & verbis ita deſtitutus exhauſtuſq; eſt dominus noſter, vt aliunde, & maximè à miſeris egeniſque hominibus ipſi opus ſit verba mutuari. Nihil huiuſmodi artibus ſuteliſque opus eſt nobis. Tenemus enim ſenſum ſimplicem & diſerta domini verba, quæ neq; fides, neq; alia illuſtriora ſcripturæ loca, neq; abſur-

Verba domini Ioan. 14. non figurate interpretāda.

Hic mauult figuram admittere quàm in uerbis certis domini.

ditas vlla, iubet nos expedire per figuratam interpretationem.

Philippus Melanchthon intelligit ascensionē domini nō figurate

Iam quod hic quoque beatæ memoriæ Philippi Melanchtonis viri pijſsimi doctiſsimiq; teſtimonium hac de re adduxi, ambagibus ille vtitur ſubdolis, dicitque nihil ad rem pertinentia. Atqui non curatur cauſſa morbida verborum fuco. Conſtat Philippum paulò antequam hinc migraret, ſcripto conteſtatum & quidem apertiſsimè conteſtatum reliquiſſe poſteritati, id quod in hac cauſa noſtra præcipuum eſt, articulum fidei noſtræ de aſcenſione Chriſti in cœlum non figurate intelligendum eſſe, ſed ſimpliciter prout verba ſonant: Hic non eſſe fingendas allegorias, Aſcenſionē Domini fuiſſe viſibilem & corporalem. Ac ita ſemper antiquitatem vniuerſam ſenſiſſe, Chriſtum corporali locatione in aliquo loco eſſe, vbicunque vult, factamque aſcenſionem Chriſti corporalem, ſurſum, &c. Atque hæc omnia Philippi ſunt verba, quibus medicatio artificiumque Brentianum de mutuo accipiendis verbis, conuulſum & euerſum iacet. Nec fulcietur hic ille tantillum, hiſce ſuis verbis, nullius hominis authoritatem, certitudini ſcripturæ ſacræ (quæ immota eſt eſt veritatis regula) præferendam. Nam ea quæ hic adduxit Philippus vt ſcripturis con-

congrua atque ſuffulta, ita articulis quoque fidei ſunt inſerta, habenturque iure pro irrefragabilibus: vt iam non dicam ea ipſa ſic nobis tradita eſſe ab vniuerſa pia & erudita vetuſtate, teſtimonijs omnium ſeculorum concordibus. Quod ſi pergat nihilominus ſpretis his omnibus aduerſarius, rationes & fucos quærere, quibus cauſam ſuam morbidam ſuffulciat atque tingat, bonam verò noſtram concutiat atque ſuggillet, pij tamen eligent potius veritati ſempiternæ & clariſſimæ adhærere imò & immori, quàm eius accedere offucijs. Quę ille prætereaper vniuerſum librum ſuum ludens ridenſq; expuit contra cœlum empyreum, nulla confutatione indigent. Conſiſtunt enim immota adhuc, quæ ea de re à folio 22. vſq; ad 31. ſcripſi in Reſponſione mea. Ac mallem in vniuerſum ab omni contentione abſtinere, ſimpliciterq; id quod verum eſt profiteri: ſed aliò me rapit aduerſarij importunitas.

Hic dū mihi explicare vult, quomodo cœlum ſit locus ipſumq; rurſus non ſit locus, ſtatus, inquit, rerum cœleſtium dicitur vnus perpetuus locus: quia res ſpirituales & cœleſtes non ſunt nihil, ſed in rerum natura vere exiſtunt. Nullus autem dicitur earum locus, videlicet corporalis, &c. Cum his oro cōponat Quomodo locus non ſit locus.

lector pius, quæ eadem de re in mea Responsione hisce verbis cōmemoro, Cuperem hoc nobis ille explicaret perspicue, quomodo locus & locus sit & locus non sit. Si enim intelligit locum vere esse locum, eundem tamen non locum ea de causa nuncupat, quod terrenus vel corruptibilis locus non sit, cur, obsecro me persequitur, & in me hostiliter suam ipsius sententiam oppugnat? Si verò non ita intelligit, Quid oro dedit, cùm locum concessit? &c. Hás inquam sententias inter se compositas examinet diligenter lector æquus. Deprehendet, spero, meam de cœlo, quod locum esse contendo, tam esse claram firmamque, vt quod huic aduersarius præter verborum nebulas fumosque cum insigni peruicacia opponat, nihil habeat prorsus.

Quomodo edatur in cœna corpus domini corporaliter & tamen ineffabiliter.

Et cum antea petijssem ab aduersario, si mihi explicare vellet, quomodo locus & locus sit & locus non sit, faceret hoc explicatione quæ semetipsam non negaret atque euerteret: quemadmodum fieri soleat in causa cœnæ dominicæ, in qua dicunt, edi quidem corpus domini præsens corporaliter, non tamen corporaliter crasso modo, sed corporaliter modo ineffabili. Quisquis enim dixerit rem aliquam fieri corporaliter, modum exposuit, vt ille amplius ineffabilis esse non posit. Ad ea

nunc

nunc respondet Brētius, & ait, Cum à nostris dicitur corpus Christi in cœna adesse & manducari corporaliter, & tamen nō corporaliter, intelligitur alterum de veritate præsentię corporis, alterum de corporali sensu: vt sit sententia, verum Christi corpus vere præsens esse in cœna & manducari, non autem sensibiliter, aut exterioribus hominum sensibus perceptibiliter. Hæc si putas tu, inquit, sese mutuo interimere, elleboro tibi opus erit. Illa autem sic excipio, Si præsens Christi corpus in Cœna corporaliter percipitur, sanè fieri oportet id sensibiliter, modoque effabili. Alioqui enim corpus non erit manebitq; corpus. Explicatio itaque hæc Brentij non minus semetipsam elidit, quàm prior illa. Cæterum si Christi corpus est & manet verum corpus, vt omnino esse manereque oportet, interim tamen non sensibiliter, id est non corporaliter, sed spiritualiter percipitur, cur obsecro pugnat nobiscum Brentius? An ignorat & illam ipsam nostram esse sententiam? Certè si ad hunc modum se ille declararet, sicuti & scriptura sancta & vniuersa vetustas sese explicans, orthodoxe docuit, nempe, verum Christi corpus & verum eius sanguinem vere percipi, non tamen carnaliter vel corporaliter, sed spiritualiter, per fidē, agnosceremus profe

cto & nos declarationem hanc veram esse & catholicam: Ac si ea est mens ac sententia Brentij, disparuit vtique quod inter nos erat sacramentarium dissidium, ac vtrinq; cõsentimus in domino. Si verò iste non ita sentit, sed pergit insuper ea oppugnare quę nos cum sancta vetustate communia habemus atq; docemus pie, parcat licet sumptui, quem facturus erat in parãdo mihi pharmaco, sibi potius paret elleborum. Cernunt enim pij omnes, mihi, vtpote per Dei gratiam, sano, nihil planè opus esse elleboro. Faxit autem Christus dominus, vt ille purgatus probè, sanitati restituatur solidę.

De ascensione Domini nostri Iesu Christi in cœlum, & quod cœlum in quod ascendit dominus noster, certus sit locus, supra nos, & non in terris, aut ubique.

CAPVT VI.

Nostra de cœlo doctrina fundata in ascensione domini.

TAndem & ad ascensioné domini nostri Iesu Christi peruenio. Ascensioni huic Domini cœlesti, dixeram diserte Brentio, doctrinam me meam de cœlo in excelsis supra nos parato, veluti fundamento firmissimo imponere. Proinde si existimaret hac in parte me aberrare, æquũ videri, vt cum semel cõtra me de cœlis supra nos in excelsis constituto, scribere instituerit, solidis mihi argumentis cõmonstret, me vel ascẽsionem domini in cœlum

lum non recte intelligere, vel testimonia illa quæ confertim veluti in aciem collocaui, perperam instituto illo meo, adaptare. Id enim si non faciat, firmam immotamque permanere nostram de cœlo doctrinam, vtpote firmissimo Dei verbo impositam: videre simul omnes me nullum condere cœlum nouum, aut ab alijs conditum defendere, sed veteri veroque ferre testimonium: videre denique vniuersos, cœlum Brentij vbiquarium, non modo concussum ruere, sed iam iam dissipatum, prorsus euanuisse, nullo ne vestigio quidem relicto.

Ad hæc mea aduersarius vt priore responsione nihil solidi attulit, ita ne nunc quidem vltimo suo scripto mea illa attigit, nedum confutauit: tantum inter alia dicit, Scio de ascensione extare perspicua sacræ scripturæ testimonia, & agnosco ea esse verissima ac certissima. Quare non opus erat ad ea respondere, quod mihi alicubi satis odiose exprobrat Bullingerus, sed illa quæ ex his scripturæ testimonijs fingit, nec scio nec approbo, &c. Si verò corde integro atque syncero credis, sicut rotundo ore confiteris Brenti, Christum Dominum vero suo corpore ascendisse in cœlum, & manere in cœlo, quorsum obsecro pertinent illa tua verba, Ascendit in cœlum.

quæ fol. 105. libri tui ſic leguntur, quare nihil aliud reliquum eſt, quàm quod Chriſtus cum corpore ſuo, non ſolum non concludatur, vel vllo alio loco, vel locali illo, quod Zuingliani fingunt cœlo empyreo, verum etiam penetrauerit & euaſerit omnia loca, ſiue ſupera, ſiue infera, ſiue terrena, ſiue cœleſtia, &c. Etenim ſi hæc tua verba logodædale Brenti vera ſunt, quid quæſo dediſti nobis cum confeſſus es, Chriſtum corpore ſuo aſcendiſſe in cœlum? An non ſonant verba fidei aſcendiſſe Chriſtum corpore ſuo in cœlum, & non penetrauiſſe cœlum, id eſt euaſiſſe vel elatum eſſe extra cœlum? Quis neſciat ingens eſſe diſcrimen inter hæc, penetrare cœlum, id eſt efferri extra cœlum, aut euadere cœlum, & aſcendere in ipſum cœlum? Proinde cum tu dicis Chriſtum aſcendendo in cœlum, elatum eſſe extra cœlum, euaſiſſeq; omnia loca infera & ſupera, terrena & cœleſtia, negas profectò, ipſum elatum eſſe in cœlum. Ergo negas nūc hiſce verbis (Chriſtum euaſiſſe omnia loca) id quod antea dediſti hiſce verbis, Credo Chriſtum aſcendiſſe in cœlum. Ergo ne, cum hæc luce clariora ſint, tantum tibi ſupereſt mentis, vt hinc quoque intelligas dilucide, grauiter te hoc errore à Deo iuſto puniri, qui myſterium aſcenſionis Domini articulumque

Chri-

Christianæ fidei non ea explices simplicitate,qua decebat. Quod si Christus corpore suo, iuxta tuam doctrinam, penetrauit & euasit omnia loca, tam infera quàm supera, tam terrena quàm cœlestia, ergo ne nunc neque in cœlo quidem ipso neque est in terra, vtpote quæ omnia illum euasisse dicis? Vbi itaque est Christus, amisimus ne Christum? Vbi denique est tua illa vbiquitas? Si vbique est,ergo in cœlo est,ergo in terra est? &c.

Deinde si syncere credis & confiteris veram Domini ascensionem in cœlum, quorsum rursus pertinent hæc tua verba quæ in libro tuo folio 69. ita leguntur? Cum dicitur de Christo, Ascendit in cœlum,non est intelligendum quod Christus, postquam in ascensu suo visibili susceptus est à nube, & subductus ab oculis discipulorum, conscenderit per orbes planetarum, physica motione (ad quæ illi responsum est abunde in Responsione mea, folio 25. & 26.) & inuaserit in fictitium & corporale cœlum, quod empyreum vocant, in quo sedeat, stet, ambulet,& corporali modo circumeat: sed quod consederit ad dexteram patris sui omnipotentis. Dextera autem Dei non est certus locus aliquis in cœlo, sed est omnipotentia & vniuersa maiestas Dei,&c. Siste verò his

Ascendit Christus non ad locum certũ, sed ad omnipotẽtiam Dei.

gradum, Brenti, paulisper, ac expende apud te quid hisce verbis tuis dixeris, & quam probè hæc congruant cum tua confesione, Credo Christum ascendisse in cœlum. Si enim cœlum non est locus supra nos in excelsis, sed omnipotentia & vniuersa, vt dicis, Dei maiestas, quam sanè nemo vbique esse dubitat, edisseras nobis vellem, quid opus fuerit Domino ascensione in cœlum? Etenim ascendere, quod ipsa loquitur res, est de inferioribus contendere ad superiora. Iam verò si cœlum illud in quod fateris conscendisse Dominum, non est locus supra nos in excelsis, sed maiestas Dei, quæ hic apud nos & vbique est, nihil profectò opus fuerat Domino ascendere eò vbi erat prius. Contestatur autem veritas Euangelica & Apostolica quod Dominus noster vero suo corpore ex terris in ipsum ascenderit cœlum, & quod in terris amplius non sit. Proinde cœlum in quod ascendit Dominus noster, non est maiestas Dei & vbique, sed locus supra nos in excelsis, in quem ascendens Dominus peruenit, & in quo nunc habitat vero suo corpore. Qui nimo tua vbiquitate infelici expungis tollisque veram Christi in cœlum ascensionem. Aut cur non potius confitentes fidem nostram, iuxta tuam doctrinam, dicimus, Ascendit

Grego. Nazian cōtra Eunom. Vigil. in disp. inter Sab. Phot. Ariā fol. 38.

dit ad omnipotentiam Dei: ſed non ita confitemur, ſed dicimus diſerte, Aſcendit in cœlum, En in cœlum aſcendit. An verò in hac cauſa quoq; vti & in alijs quibuſdá omnia nobis miſcebis, ea quoq; quæ inter ſe ſunt luculenter diſtincta? Annón inter ſe diſtincta ſunt cœlum & omnipotentia vel maieſtas diuina? ita vt cœlum non ſit omnipotentia Dei, ſed locus Chriſti corpori omnibuſque ſanctis eius præparatus, omnipotentia verò ſit Dei immenſa poteſtas adeoque ipſe Dominus omnia potens? Sentis ne tandem chare frater Brenti, quid ijs vſuueniat quantáue conijciantur in pericula, quotquot nimium ſibijpſis tribuentes vtenteſque verborum artificio perplexitateque, plus volunt ſcire quàm regula proportioque fidei permittat? Adhortor itaque te, quam poſſum amice & diligenter, vt ſicuti fateris te credere Chriſtum corpore ſuo aſcendiſſe in cœlum, ita etiam tuam illam diſputationem quam ſimplici alioqui adiungis confeſsioni, modereris, ne inde colligant vel pueri te in ſpeciem & ſummis, quod dici ſolet, labris quidem confiteri aſcenſionem Domini, at eandem rurſus ac reuera te negare, oppugnare atque expungere.

Quod ſi aduerſarius non agnoſcit noſtras,

Consequentias ex ascēsione domini eductas nō agnoscit Brentius.

vt ait, consequentias, quas ex ascensione Domini colligimus, & quas contumeliose putidas nuncupat consequutiones, quare nō adducit rationes solidas quibus approbet tales esse nostras consequentias, quales esse calumniatur. Verùm mutus est hac parte: id quod mox compensare conatur querimonia. Nam queritur de mea importunitate, qua hostiliter in ipsum irruam ac impetuose cum ipso agam. Cum tamen qui me norunt familiarius, longe, opinor, benignius de me iudicent. Nunquam, quod sciam, pro homine habitus sum impetuoso: solus Brentius (cum quo, si ferret res, pacem habere mallem, quàm litem) omnia mea, nescio quo hoc fiat sydere læuo, pesimè consulit, & acerbissimè interpretatur. Fortassis hoc nomine parum propitius mihi factus est, quod paulò liberius & euidentius errores aliquot eius protraxerim in lucem validiusque confutarim. Aut certè applausu in re qualibet suorum, ita est dementatus, vt importunitatem existimet, cum ipsum scripturarum & patrum testimonijs vrgeo, nec facile permitto ipsum vagari à proposito, aut regulas interpretandi scripturas condere pro libito. Certè si non expedite & modeste eius responderem scri-

ſcriptis, ſed deſpicerem faſtuoſe contumelioſeque & impetuoſe ipſum exciperem, haberet quod quereretur de mea illa importunitate: nunc verò norunt omnes quotquot Reſponſionem meam legerunt, ita me agere cum Brentio, Principio non immodeſte illi oſtendo dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vero ſuo corpore aſcendiſſe ſupra omnes cœlos viſibiles, perueniſſeq; in ſupremum Cœlum, in locum æternæ felicitatis. Deinde pari modeſtia demonſtro Cœlum in quod vero ſuo corpore aſcendit dominus, certum eſſe locum. Hæc illuſtro atque munio teſtimonijs ſcripturæ diuinæ, petitis ex ſcriptis euangelicis atq; Apoſtolicis. Quod ſi quis iſta certius pleniuſque diſcere aut experiri cupit, legat Reſponſ. noſtram, à fol. 28, vſque ad 34. Teſtimonium, ſpero, exhibebit mihi lector æquus, non tantum quod importunius cum aduerſario egerim nihil, ſed quod illud ipſum etiã, quod mihi probandum ſumpſerã, dilucide & euidenter comprobauerim: ita vt quamuis ille cupiat omnibus perſuaſum, illa mea indigna eſſe vlla reſponſione, experturus ſit tamen æquus ille lector, ſolida eſſe illa argumenta, atque veritatem à noſtris perſtare partibus inuictam, ſiue verò ille reſpondeat ſiue taceat.

Nam quod ille alibi quoque dicit, Scilicet Reſponſiones Brẽtij.

illis ſcriptoribus nō eſt reſpondere,ſi quis expoſita & confirmata vera & pia eius cauſæ, quàm tractandam ſuſcepit, ſententia, paucis verbis lectorem admoneat, quid de obiectis aduerſariorum ſit ſentiendum, Et niſi ſingula verba aduerſariorum numeres, ac commentarium in ea ſcribas, audiendum erit,piſce magis mutus es,&c.iniuriam certè facit, fugamq́ue callide diſsimulando, commodè quærit. Dudum ſanè longi illi logi nauſeam nobis ciuere,tantum abeſt vt vel à Brentio,vel ab vllis noſtris aduerſarijs, nunquam poſtulauerimus prolixos conſcribi commentarios. Atq; vtinam peperciſſet ille ſibi in poſtremo hoc libro ſuo componendo, neq; ita ſe & auditores prolixa & impexa garrulitate defatigaſſet. Potuiſſet ille omittere multa, imprimis ea quæ nullo cum fructu multa autem cum moleſtia toties repetendo inculcat, ac illa etiam quæ parua cum gratia nec ſine leuitate ridendo ludendo vexandoq́ue profundit. Conſultius feciſſet multò, ſi expedita faciliq́; obſeruata diſpoſitione,ad ea duntaxat reſpondiſſet breuibus, quæ cauſæ noſtræ præcipua ſunt. Ita enim ſua expeditius legi potuiſſent,neque ita excreuiſſent,eſſetq́; & noſtra hæc reſponſio ſuccinctior & gratior fortaſsis. Nunc tamen iſta omnia qualia qualia ſint,æquo lecto

ri vtrinque expendenda relinquo.

Spero autem pios lectores, ex his meis licet nunc & antea non operosè expositis, nullo negotio intellecturos, doctrinam nostram de cœlo, non harenæ, quod aduersario videtur, esse impositam, sed veræ ascensioni domini nostri Iesu Christi in Cœlum illud quod supra nos est, atque ideò firmam immotamque perstare. Poterunt his secure & tutò inniti fideles. Sicut enim manifestè cernunt Christum corpore & anima verè in Cœlum ascendisse, & nō in Vtopiam, id est, in nullum locum certum, sed sursum, in domum patris, in mansionem beatorum æternęque felicitatis, ita fide indubitata credunt, se quoque animabus & corporibus suis sequuturos ea via dominum, quam ille parauit, & qua ille præcesſit, atque ita in beata vita, in Cœlo, semper futuros cum domino. Cui laus gloria & gratiarumactio sit in secula seculorum, Amen. Fructus disputationis de uera domini in cœlum ascensione.

De testimonijs sanctorum patrum uel doctorum ecclesiæ, imprimis uerò de sancto Theodoreto Cyri episcopo. CAP. VII.

COmplura scribit in hoc opere suo de maiestate aduersarius, de doctorum Brentius contra doctrinam ueterum patrū in hac causa

ecclesiæ doctrina, quos certè inuadit tertiũ, multaq; in eos dicit, quæ qualia sint facilè & recte iudicabunt viri in ecclesia periti, quibus perspecta est veterum patrum fides eruditio labor diligentiaq; & gratia à Deo ipsis concessa, viderũt illi proculdubio peruenisse eò iam Brentium, vt semel omnia non tantum nostri seculi doctorum virorum ministrorumq; fidelium ecclesiæ, sed & veterum quantalibet eruditione sanctitate vetustateq; præpolleát, testimonia statuerit apud se reijcere, quæcunque ex his contra vbiquitatem eius cum cœli tum corporis Christi pugnare videntur. Nihil inquam ponderis authoritatisúe hi omnes apud Brentium habent, quod ipsi videantur instituti esse nõ in schola spiritus sancti per idiotas piscatoresq; apostolos sed in schola Aristotelis per philosophos hominesq; in sapientia seculari turgidos. Hos asserit ille seductos atq; occæcatos esse ab Aristotele & à rationibus humanis. Hos ait habere de rebus cœlestibus imaginationes pueriles & somnia crassa, terrenas phantasias & sensus carnales, & quicquid huius generis aliud est quod censor ille alto pronũciat cũ supcilio veluti ex tripode. At hac ratione commodissimũ sibi inuenit semel ad oĩa veterũ testimonia respondẽdi imò eludẽdi oĩa cõpẽdiũ. Quid enim facilius est q̃ sem

ſemel omnia veterum ex alto deſpicere teſtimonia, deinde magna cum confidentia adijcere, velle ſe præterita philoſophia Ariſtotelica (hoc enim admodũ eſt plauſibile) ſolis credere in hac cauſa ſcriptis apoſtolicis: quę tamẽ & ipſa cauſam eius iuuarẽt nihil, niſi ea prius ſua imbuiſſet ſaliua, regulaſq́; ex ſemetipſo effinxiſſet, quibus illa contra ſenſum genuinum reflecteret ad ſenſum ſuum commenticium. Si enim illa in ſenſu ſuo genuino, quem etiam vetuſtas ad normam fidei concorditer retinuit, maneant, cauſæ Brentianę tam patrocinantur nihil, quàm parum ei propitij ſunt veteres eccleſiæ doctores, omnes magna oppugnantes conſtantia quod ille affirmat, & cœlum & corpus Chriſti in cœlo, eſſe vbique.

Sciunt autem prudẽtes viri, ſcripturarum inquam rerumq́; eccleſiaſticarum periti, quoſdam ſcriptorum veterũ, licet addictiores fuerint & impẽſius ſectati ſint philoſophiam, numerata tamen cognitaq́; ea eſſe capita, in quibus nimium philoſophis tribuiſſe vidẽtur: interim verò labores horum alios, quos nimirum ſcripturis interpretandis oppugnandiſq́; Iudæis hæreticis atque gentilibus impenderunt, ſummo habitos eſſe in precio, denique nunquam reprehenſos fuiſſe in eccleſia ab orthodoxis, quod neque propter vnionem per- De ſcriptis patrũ, quantum eis ſit tribuẽdum.

ſonalem neq; propter exaltationem humani tatis domini in diuiná maieſtaté, vel propter eius glorific docuerũt humanitaté Chriſti tá latè expãdi,q̃ eius extenditur diuinitas, vt ſit vbiq;. Quibus omnib. illud accedit irrefragabi le prorſus, quod in ſcriptis ſuis, nõ tantũ reci tarunt ſuam opinionem, quid ipſi ea de re ſen ſerint, ſed quid de ipſa, catholica eccleſia inde ab apoſtolorum temporibus ſenſerit, credidẽ rit atque docuerit, id nempe quod ipſi adhuc docebant. Sed planius pleniusque iam age- mus cum Brentio.

Diſcrimen ſcriptorum patrum.

Inter patrum teſtimonia quæ proferuntur in certaminibus, ad confirmandum vel refu- tandum, diſcrimen arbitramur eſſe habendũ. Sunt enim quædam patrum teſtimonia, quæ nullis nituntur ſcripturis, ſed eius duntaxat authoritate qui dixit. Sunt quædam rurſus quę habent quidem ſcripturarum teſtimonia ſed patrum ſenſu expoſita. Sunt denique alia huiuſmodi vt non tantum referant authoris ſententiam, ſed catholicæ quoque eccleſiæ & ſenſum & fidem. Cæterùm à teſtimonijs pri- mi generis, non innixis quidem ſcripturis, qui nimo & cum ipſis pugnantibus iubẽt ipſimet patres recedere & ſolis accedere ſcripturis ca nonicis. Ea in re nulla ſanè nobis eſt contro- uerſia. Porrò quæ cum ſcripturis congruunt teſti-

teſtimonia, ijs propter ſcripturam meritò creditur. Quæ verò non tantum cum ſcripturis conſentiunt, ſed inſuper referunt & fidem & ſenſum catholicæ eccleſiæ, non modò reijci aut ſperni non debent, ſed maximo haberi in precio. Iam verò cum teſtimonia patrum à nobis, ex Theodoreto maximè allata, ſint huiuſmodi, perperam & non ſine iniuria contra illa inſtituit diſputationem Brentius. Cui etiam affirmamus, nunquam, quoad viuere dederit dominus, propter implicatas eius diſputationes, receſſuros ab illis in hac controuerſia noſtra patrum teſtimonijs, quibus conſtat nobis expoſitam & fidem & ſententiam catholicæ Chriſti eccleſiæ, cum ſcripturis ſanctis congruentem.

Inter patres verò præ cæteris Theodoreto maximè infenſus eſt Brentius, ideoque cum ipſo committit fictitium Brenticyrillum, qui Theodor. manifeſti redarguat erroris, Agedum, inquit, ſumamus vnum aliquem eorum patrum, quorum authoritatem Zuingliani iactant, in manus, & expendamus ea ſeueritate, quæ in iudicandis fidei dogmatis adhibenda eſt, ſcriptum aut dictum eius, quod veritati ab aduerſarijs opponi ſolet, viſuri quos triumphos reportent. Si quid paulò liberius in eum dicitur, Zuingliani non nobis, ſed ſibi impu-

Brentius contra S. Theodoretum.

tent, quod inſultatione ſua ad hoc neceſsitatis nos adegerint. Cyrillum ait aliàs non omnia probaſſe Theodoreti, quod colliqueſcat ex Anathematiſmis. Inter diſputandum dicit & Theodoretum perſuaſum ab Ariſtotele ſic docuiſſe: item dogma hoc confinxiſſe ipſum ex ſemetipſo. Et iterum, Vides Theodorete, inquit, quàm ineptè, quàm incongruenter teſtimonia ſcripturæ tuo ſomnio de circumſcriptione corporis Chriſti in ſumma cœleſtis regni maieſtate, accommodaueris, &c. Ad hunc verò modum Brentius optimè meritum de pietate ſenem, (immemor quam indignè tulerit quod ipſum ſemel duntaxat ſui admonuerim ſenij) parum honorifice tractat.

Quando floruerit Theodor.

Expendiſſet autem apud ſe aduerſarius Theodoretum floruiſſe ante annos mille & centum circiter, & cum ille ante tot ſecula docuit corpus dominicum in cœlo, vt in loco habitare circumſcriptum, collegiſſet ille, omnes liquidò iam cernere, Brentium nobis luculentam irrogare iniuriam, qui dixerit nos confinxiſſe hoc de cœlo dogma, qua de cauſa Cœlũ cui nos ferimus teſtimoniũ appellauit Zuinglij ac Bullingeri Cœlum. Etenim ſi Theodoretus ita docuit apertè ante tot ſecula ſicut nos ſolemus hodie docere de Cœlo & corpore Chriſti, profecto nos doctrinæ illius primi

authores

authores non ſumus. Vtinam verò hic quoq; nobis proferret aduerſarius veterum ſcriptorum claſsicorum, de ſuo Cœlo vbiquario & corpore Chriſti vbiq; diffuſo, ſicuti nos de noſtra ſententia adduximus, teſtimonia, quibus ſuæ opinionis vetuſtatem nobis approbaret. Verùm vt modò eſt enata, ita pariter vnà cum authore ſepelietur.

Meritò autem grauis eſt apud nos S. Theodoreti authoritas, foretque in precio & apud Brentium, niſi ſua vbiquitate dementatus, ne ſciret quo conſiſtat loco. Fuit hic Theodoretus Cyri in oriente epiſcopus, cui, quod norunt hiſtoriæ periti, maximam tribuunt laudem eccleſiaſticę hiſtoriæ. Octingentis in Oriente eccleſijs optime præfuit, quas & in ſyncera doctrina, in pace, & in iuſta diſciplina ad triginta circiter annos magna cum laude conſeruauit: ita vt contra ipſum nulla à quoquam iuſta fuerit inſtituta accuſatio. Maximos multosq; in ſuo munere labores ſuſtinuit. Cōmētarios in libros vtriuſq; teſtam. canonicos ſcripſit. Erudite & acriter contra Iudæos, gentiles atq; hæreticos diſputauit. Multa animarum millia, mille implicata erroribus, per gratiam Dei, doctrina euãgelica extricauit Chriſtoq; lucrifecit: atq; ita in vniuerſa Chriſti eccleſia nomen celeberrimum acquiſiuit. Poſ-

Theodoretus quantus aliquando in eccleſiâ uir.

ſunt autem de his omnibus ipſimet ipſius libri copioſe teſtari. Et quamuis aliquantulo tempore inter ſe diſſenſerint Theodoretus & Cyrillus, mox tamen reconciliati rurſus arctiſsimam inter ſe pacem concordiamque coluerunt, dum videlicet vtrinq; dogmata inter ſe diſcrepantia, explicarent ſignificantius, ac Cyrillus diſerte fateretur, non ea ſe eſſe ſententia, quod propter vnionem naturarum in vna indiuiſa perſona, diuinitas Chriſti, paſſionis etiam fuerit particeps.

Accuſarunt quidem Theodoretum nonnulli, clamaruntque contra ipſum in ſynodis quibuſdam, perpetuò tamen magna cum eius laude ipſius innocentia tandem luculẽter eſt comprobata. In œcumenico maximoque illo Chalced. concilio, ampliſſ. accepit teſtimoniũ doctrinæ orthodoxæ & gubernationis legitimæ in ſua eccleſia, ut doctor pius paſtorque fidelis. Nemo autem vnquam in ipſo vituperauit aut reprehendit, quod nunc in eo oppugnat Brentius. Omnes enim ſanioris iudicij doctores agnouerunt ipſum hoſtem fuiſſe acerrimum Neſtorianorum, perſonam Chriſti indiuiſam conſcindentium, denique & vehementem Eutychianorum oppugnatorem, ita loquentium de corpore Chriſti, quaſi exaltatum, non amplius fuerit verum corpus, ſed ve

luti

luti deificatum. Præterea liber ex quo adduxi testimonium, quod sibi Brentius euertendum sumpsit, apud verè pios solideq; doctos magno semper fuit in precio. Scriptus est enim magna diligentia aduersus vanam impiamq; hæreticorum doctrinam: quam principio quidem sacrarum præsidio scripturarum euertit, deinde verò sanctorum patrum à temporibus apostolorum ad suam usque ætatem florentium concordibus euidentissimisq; testimonijs confutauit, ostendens non se solum ita sentire, sed ad eum modum sensisse semper vniuersam in ecclesia Christi vetustatem. Ac certum est eos qui diligēter tres eius Dialogos legerunt, nunquam potuisse admirari satis Theodoreti eximiam pietatem, fidei simplicitatem, eruditionem diuinam, multarūq; rerum experientiam, disputationis acumen, & in docendo perspicuitatem, ac in omnibus diligentiam accuratissimam.

Imprimis autem sciendum est Theodoretum in Dialogo illo suo cui titulum fecit Inconfusus, doctrinam illam suam de corpore Christi in cœlo, vt in loco, agente, non proposuisse aut defendisse, tanquam suam peculiarem opinionem, sed veluti dogma receptum approbatumq; ex scripura ab vniuersali ecclesia, quæ passim sic sentiebat credebat atq; do-

Theodoretus docuit & defendit fidē catholicæ ecclesiæ.

cebat. Nam ſicut in Aſia ſcribebat de corpore Chriſti in Cœlo, ita eodem illo tempore, docebatur eodem modo in vniuerſa eccleſia per Europam atque Aphricam. Quod ſi quis fidem mihi non adhibet, credat ſaltem Leoni epiſcopo Romano, eadem ſcribenti contra Eutychianos, in ſuis epiſtolis: credat beato Vigilio Tridentino epiſcopo & Martyri, contra Neſtor. & Eutych. eadem docenti: credat beato Fulgentio Ruſponen. epiſcopo, eadem in ſecundo & tertio libro ad Thraſimundum regem in Aphrica teſtificanti. Et proinde cum doctrina Theodoreti vniuerſalis doctrina ſit catholicæ eccleſiæ, cernunt, opinor lectores contra quos inſtituta ſit Brentiana diſputatio, qua Theodoretũ iugulare contendit. At qui tam abeſt, vt aduerſarius huiuſmodi diſputationibus ſuis nos abſtrahat à fide orthodoxa, vt multò validius in ea nos confirmet.

Ex his item quiuis intelligit, nullo iure nobis obtrudi intempeſtiuam & abſurdam contra Theodoretum aduerſarij diſſertationem, ad quam ſanè nulla ipſum adegit neceſsitas. Queritur is iterum nos ipſum adoriri atrocius: ſed dixi antea, nos in ipſum nec faſtuoſis nec contumelioſis aſſurgere verbis, ſed tantum petere ne aberret à ſcopo alienaq; à cauſa dicat, denique vrgere nos illum verborum

teſti-

teſtimoniorumque euidentia. His ille nos ipſi inſultare & in ipſum inuehere clamitat.

Quod ait Cyrillum non omnia Theodoreti approbauiſſe, quale ſit, iam antea expoſuimus. Nemo itaq; exiſtimabit verba in diſputatione Brentiana Cyrillo aſcripta, Alexandrini illius Cyrilli eſſe verba, Illa ſanè ſunt figmēta Brentij, non autem verbis prolata Cyrilli. Docet enim apertè Cyrillus cum in libro de trinitate tum in expoſ. euang. Ioan. Solam diuinitatem eſſe infinitam atque incircumſcriptam, omne autem corpus finitum certoque loco conſtitutum & non eſſe vbique: ſed & corpus domini noſtri Ieſu Chriſti in cœlis eſſe, & non in terra, &c.

Cyrillus & Theodoretus in fide concordes.

At quis expoſitis his, nō videt nihil opus eſſe ad ea reſpondere quæ Brentius affert contra Theodor. Sunt inſuper ea huiuſmodi, vt ne ſimpliciores quidem vel mouere vel impedire poſsint magnopere. Hoc vnum in præſentiarum dicam, inter præcipua quæ in Theod. dicit, illud eſſe, quod ait, corpus glorioſum nō eſt animale corpus, quod indigeat cibo, potu, locis & temporibus ſed eſt ſpirituale, habēs conditiones ſpiritus. Etenim ſi intelligat per animale corpus infirmum & corruptibile corpus, idem cum ipſo ſentimus: ſi verò tale intelligat corpus quod natura ſua verius ſit ſpiri-

Glorificata corpora uera corpora.

tus inuisibilis, quam corpus loco circumscriptum, aberrauit & hic à doctrina simplici. Nã manet à resurrectione vera carnis (confitemur enim in symbolo carnis resurrectionem) substantia atq; natura quæ non euacuatur. Et clarificata corpora vera sunt corpora: sicuti & Paulus manifeste testatur, cũ dicit, Hoc mortale & hoc corruptibile, induet immortalitatem & incorruptibilitatem. Proinde nuncupat Paulus corpus gloriosum corpus spirituale, non quod conuersum sit in spiritũ corpus, euacuata aut annihilata carnis substantia, sed quod regatur à spiritu reddaturq; cœlesti habitationi idoneũ. Caueat hic itaque sibi aduersarius, ne in errorem incidat illũ, quẽ in Ioanne Hierosol. episc. persequitur nobili scripto B. Hiero. De quo paulò post quędã sequẽtur.

Quam immodeste se gesserit Brentius *cõtra nostram de Cœlo doctrinam.* CAP. VIII.

Brentius putat se modeste scripsisse.

EXposui quomodo S. Theodoretus sit tractatus ab aduersario, dicam modo breuiter & obiter quàm acerbe Martyrẽ beatæ memoriæ virũ piũ & doctũ, & me acceperit verbisq; adoperuerit probrosissimis. Faciam hoc vel propter illos, qui mirifice huius libri cõmẽdãt modestiã, vt vel hinc intelligãt se affectib. captos, Brẽtissare nimiũ, vel minus exacte discernere inter veram modestiã & falsam, quin &

&ipse aduersarius sub finē propè libri sui, arbitratur se scriptū hoc suū absoluisse sine sophistica & vllius calūnia, &c. Ego verò aliud nihil à lectore peto, quā vt ipsa Brētij verba primū audiat, deinde iudicet etiam, quam verè hoc ab eo dictum sit, & quam modestum se tam viuis exhibuerit quàm mortuis. Cœlum quod nos appellamus Cœlum domini nostri Iesu Christi, vtpote in qd' ipse ascendit ipseq́; locū in euang. suo appellauit, aduersarius in cōtemptū insignēq́; huius nostræ doctrinę cōtumeliā, nūcupat Cœlū Zuinglij, Arist. regionē, cœlū Bullingeri, Cœlū sophisticū, cœlū Thalmudicū, Mahumedicū & Campos elysios. At audierunt iamdudū pij auditores, quænā habeamus pro cōfirmatione doctrinæ nostræ testimonia, intelligunt ergo quanta hic ab aduersario afficiamur iniuria. Ait ille etiam se à nobis affici iniuria, qui nuncupemus cœlum, quod ipse defendat, cœlū vbiquariū. At nos hoc verè & citra eis iniuriam contumeliamq́; dicimus, quod & ante ostendimus. Ipse enim palā ita docet, cœlū inquā sedē beatorum esse vbiq;, nostramq́; oppugnat doctrinā de cœlo supra nos certo loco constituto. Nos aūt de cœlo nihil docemus Iudęorū aut Turcarū more, Thalmud. vel Mahumedice, sed ita vt nos docet scriptura sancta tenetq́; fides catholica.

Cœlum Zuinglij.

Aristotelis regio.

Cœlum vbiquarium.

Cap. 4.

Cœlũ phantasticum.

Rursus ille, Doctrina, inquit, Zuinglianorũ non est imposita in petram diuinæ veritatis, sed in harenam phantasiæ humanę: insignisq; in ipsis apparet temeritas, qui audent fabulã, minime sibi constantem, ecclesiæ Dei obtrudere, aut confictam obtrusamque ab alijs, defendere. Nec cedunt harena, sed audent summa Dei & hominũ contumelia, phantasiã illã suam semel conceptã, pertinaciter tueri. Iterũ verò, Rideo, inquit, vestra illa anilia deliria de vestro cœlo locali, vt qui in professione Christianæ doctrinæ, nondum eo profeceritis, quo aliquid sublimius, quàm prophani ethnici de sedibus cœli ac inferni sentiatis.

Cœlum ethnicorum.

Cœlum sophisticum.

Preterea ait Zuinglianos nouũ habere Deũ, qui ipsis nouũ condiderit cœlum. Ante dixit nos ipsos hoc nostris extruxisse impensis. Alibi affirmauit, hoc nos à sophistis accepisse mutuo. Et horũ omniũ immemor, alibi affirmat nos illud accepisse didicisseque atq; docere ex Aristotele: nunc verò nouus Deus istud nobis est architectatus. Et quid præterea?

Certè Mahumedes deum suum, inquit, maiori afficit honore, quam Zuingliani Christũ. Ille enim ait Deum vectari ab octo angelis in sella gestataria. His autem Christus in cœlo suo nõ vectatur, sed necesse habet tantũ stare, aut ambulare, &c. Aiunt isti Christũ oportere

cœlũ accipere vel inhabitare, vsq; in tẽpora restitutionis omnium, ac deinceps tandẽ faciunt ipsi potestatem descendendi in nubes & iudicandi seculum, &c. Et quantum in ipsis est, ait, Zuinglianis, non tantum eijciunt præsentiam domini è cœna dominica, sed ipsum etiam Christum cœlo è sede maiestatis suę deijciunt atque proturbant.

Cæterum si mallemus conuitijs rependere conuitia, quam modeste agere, quis obsecro non videat, illa nos postrema, nulla cum iniuria, in Brentium retorquere posse, ac dicere, Brentius is est, qui Christum cœlesti suo eijcit solio. Principio enim thronum ipsum Dei, quantum in ipso est, conuellit disijcit atq; tollit, dum prohibet hominibus thronum Dei in cœlo supra nos demonstrare, tanquam locum certum. Deinde ipsum domini corpus residẽs in throno maiestatis, sua expoliat proprietate, dum negat loco esse circumscriptum, pro ratione corporũ. Ipse enim contẽdit Christi corpus non circumscribi, & iccirco nõ contineri cœlo vt loco, sed esse vbiq;. Quod præterea ludit & nos irridet, docentes, Christũ oportere inhabitare cœlum vsq; ad iudiciũ, ipsum quoque S. Petrũ vnà nobiscum ridet & vexat: vt pote qui prior ita docuit, quẽ nos absq; pudore sequimur, non reformidãtes ita loqui, sicuti

Christum expellere è sede gloriæ suæ.

Oportet Christum cœlo contineri. Act. 3.

apoſtolus loquutus eſt. Sed de his hactenus.

Potuiſſemus ex libro aduerſarij longe copioſiora huius generis colligere cõuitia omnibuſq; conſpicienda proponere: ſed cum hæc quæ commemorauimus inſtituto noſtro ſufficere exiſtimemus, quicquid hoc eſt expendendum iã æquo lectori relinquimus, vt ex ijs iudicet de modeſtia vel immodeſtia Brentij. Ego certè non video quid ille in hac cauſa dicere potuiſſet quo nos cõſpuiſſet fœdius. Nihil diximus adhuc de alijs eius cõtumelijs, quas in ſuum vſq; locum reſeruamus. Nũc aũt ſpero Dei benignitate lectorumq; æquitate fretus, neminem non ex his quæ attulimus quibuſq; doctrinã noſtrã de cœlo illuſtrauimus & cõfirmauimus, intellecturũ meliorẽ nos defendere cauſam purioremq; habere doctrinã, quam aduerſarius maligne noſtra interpretans omnibus libenter perſuaderet. Ipſi verò pro merito non rependemus, ſed totam hanc cauſam Deo iuſto iudici cõmittimus, obſecrãtes vt condonet aduerſario culpam hanc, eique oculos animi aperiat, vt ſtudio vincendi poſito, ſobrie humiliterque ſapiat, videatque nobiſcum vbinam ſit cœlum, ibi nimirum, vbi hoc nobis commonſtrauit dominus.

Articulo huius libri 5. cap. 13.

De inferno an ſit aliquo loco, & ubi ſit.

CAPVT IX.

Neq;

NEque verò & in eo videtur ille ſeruaſſe modeſtiá, quod diſputationẽ de Inferno cœptam ab ipſo imprudẽtius, fideliter aũt à me admonitus, nunc non abrupit penituſq; omiſit, ſed reſtaurauit potius. Ita enim homines parum metuentes Deum, quorũ hodie nimis magna eſt copia, minus occaſionis habuiſſent, de inferno, vt ſolent, dubitãdi, ridendi, ludẽdiq;. Sed quid iſta cõmemoro, cum ipſemet Brentius, ridendo ludendoq; & amara ſcommata in me iaciendo, Vbi verò erit, inquit, infernus? Nũ & ipſe eſt in cœlo, aut in regno cœleſti? De hac re ſit ſollicitus Bullingerus. Quibus poſtea ſubijcit, Sed relictis in locali ſuo inferno Zuinglianis, reuertemur nos ad verũ noſtrũ cœlũ, &c. At nos ſperamus paſsione & reſurrectione filij Dei, nos redemptos eſſe ab inferno, vt neq; de illo nobis quicquá ſit curandum, neq; in eo ſimus relinquendi.

Rurſus autem lepidum illud caput ocioſe ſecureq; ludendo, Quia Bullingerus omnino definit, inquit, infernũ corporali loco, neceſſe habet eum longe omniũ diſtantiſsime à ſuo cœlo collocare, vt conſtet ingens illud chaos, quod Abrahá inter beatos & dánatos eſſe affirmat. Non eſt aũt diſtantior ab eo cœlo locus, quá medius punctus terræ. In hoc igitur loco Bullingerus infernũ collocet neceſſe eſt. Sed hic

Infernus certum ſuũ locũ habet.

hic etiam atq; etiam videndũ erit, num is punctus ſit tam latæ & amplæ regionis capax, vt queat tantam damnatorum multitudinẽ comprehẽdere, ac ne etiã hac ratione diameter terræ apud geometras periclitetur, &c. Quando verò ſimili leuitate ludens, paria propè vanitatis verba in priore ſua reſpõſione profundit, nunc quoq; nihil aliud ipſi reſpondeo, quam quod tunc reſpondi, Deſinat Brentius ſubuereri ne impijs in inferno non ſatis ſit futurum ſpacij. Iſaias diſerte teſtatur infernũ & profundum & amplum eſſe ſatis omnibus hoſtibus Dei excipiendis. Nolo itaq; laborioſe & ſubtiliter metiri terram, vt tandem penetrans ad punctum terræ, & in minutiſsimo hoc pũcto conquieſcens infernum extruam collocemq́; in puncto terræ. Dudũ ille ſuo in loco, vt carcer hoſtium Dei, à Deo iuſto & omnipotente extructus & conſtitutus eſt. Et quidem ſcriptura oſtendit nobis locum hunc non ſupra, ſed infra nos, & teſtatur quod deſcendant in infernum nõ aũt aſcendant ad infernũ impij. Fidem hic ego ſcripturę ſimpliciter ſequor, & abſq; curioſitate ſpiritui ſancto, per ſcripturas loquenti, credens, ſentio, infernum, non ſupra terram aut in cœlo aut vbiq;, ſed eſſe locũ infra nos certum à Deo damnatis ordinatum, in quo luant ſupplicia ſempiterna.

At conuerſo ad me ſermone aduerſarius, Si tu Bullingere, inquit, fidem ſcripturæ ſimpliciter ſequereris, & abſque curioſitate ſpiritui ſancto per ſcripturas loquenti crederes, non tam pertinaciter incendium de Cœna domini excitatum, foueres, nec quæreres tenebras in luce horum clariſsimorum verborum, Hoc eſt corpus meum, &c. Ad quæ hunc in modū reſpondeo, Credo ſanè & iſtis verbis domini, prout ipſemet ea eccleſiæ ſuę & dixit & explicauit. Nihil hic moror imò remoueo omnia ea quæ Pontificij & Brentius verbis domini de ſuo adijciūt, negotiumq́; illuſtre per ſe obſcurant, fideiq́ue myſterium planum diſputationibus intricant ſpinoſis. Diſsidium ſacramentarium infelix doluit mihi hactenus, & dolet adhuc vehementer: interim tamen veritati confeſſæ deeſſe nec poſſum nec volo, ſed vt gliſcat incendium defendam illam, quoad dominus vitam mihi gratiamq́ue ſuam conceſſerit. Poſſem & quidem vere & paucis dicere Brentio, quinam ſint veri huius incendij authores, poſſem inquam verbis Philippi Melanchthonis beatæ memoriæ viri maximi, commemorare per quem ſtet, quo minus dudū coierit concordia, ſed malo nō tantum nihil adijcere, ſed detrahere potius incendio. Tempus veritatis filia, tandem & commode reuelabit omnia.

Credere uerbo Dei ſimpliciter

Infernum certum esse locum, anilis fabula Brentio.

Instat autem aduersarius & ait, Ac profecto nisi docueritis vel intra vel infra hanc terram esse adhuc reliquam aliquam localem, localem inquam & corporalem regionem, eamque latissimam quidem, sed circumscriptam, in qua damnati corporaliter & localiter detineantur, nunquam effugere poteritis quin in luculēto figmento deprehēsi sitis, &c. Ego verò pro certo dico Brentio, quod si ita perrexerit, vt cœpit, experturū aliquando, re uera esse infernum in terra, carcerem irrisorū obscurissimum & non figmentum luculentū. Ait quidem rursus doctrinam nostrá de inferno nostrum esse somniū. Sed libere nimium ille quæ vult loquitur. Quomodo enim illud videri poterat nostrū esse somnium, quod eodem nobiscum modo, crediderunt semper & credunt adhuc fideles omnes in ecclesia, infer num videlicet locū esse damnatorū infra nos. Aut quisná hactenus, post Brentiū, aliud nobis cómonstrauit aut nos docuit? Nō ergo discedemus facilè à nostra sententia, nugis euersi Brentianis. Neque enim cœlum quæremus in terris, neq; infernum in cœlis. Si quos Brentius in hoc dogmate inuenit discipulos, adulandi & gratificandi causa hoc se credere dicent, reuera autem non ita credent.

Infernum certum esse locum.

Et certè quod mihi sumpsi in mea Respon

sione

ſione huius cauſæ probandum, euidenter validiuſque comprobaui, quam aduerſarius vnquam diſſoluere queat, infernum videlicet locum eſſe non ſupra nos, in cœlis, neque penes nos in terra, ſed infra nos. Scriptura enim maniſeſtiſsimè dicit impios deſcendere in infernum. Ipſemet modo Brentius eſt cõfeſſus, hiatum (ipſe chaos vocat quod Lucas χάσμα appellat) eſſe magnũ, vt qui velint in ipſum deſcendere, nequeant. Ibidem apud Lucam nominat diues epulo apertiſsimè infernum, locum (en locum) cruciatus vel tormentorum. Dicitur & alibi in ſcriptura ſancta impios abijſſe in locum ſuũ, vtiq; condemnationis. Adduxi præterea teſtimoniũ ex Num. 16. ca. de ſupplicio ſeditioſorum. De quibus aperte legitur quod viui deſcenderint in infernũ. Iſa. 14. ſcribitur, Infernus ſubtus te conturbatus eſt. En ſubtus te legitur. Poſſem hic quoq; commode adducere expoſitionem B. Auguſt. qui & ipſe hoc Moſis teſtimoniũ interpretatur de loco damnatorũ apud inferos Quæſt. in Num. 29. Idẽ Retract. lib. 2. cap. 24. De inferis magis, inquit, mihi videor docere debuiſſe, quod ſub terris ſint, quã rationẽ reddere cur ſub terris eſſe credãtur, ſiue dicãtur, quaſi nõ ita ſit, &c. Sed ſcripturæ teſtimonia tam ſunt dilucida, & euidentia, vt plane nihil opus ſit plura

coaceruare hominum teſtimonia.

Quomodo exponatur à Brentio uiuos deſcendiſſe in infernum Num. 16.

Hic verò Brentius ſuo more, & pro inſigni ſua temeritate, teſtimonium ex Num. 16. capite de ſeditioſis viuis in infernum deſcendentibus, pro ſua interpretatur libidine, nec pudet ipſum in conſpectu tot prudentium hominum, Domini verbum palàm detorquere à natiuo ſuo ſenſu. His, inquit, verbis, non intelligendum eſt, cum infernum in quem damnati perpetuo cruciandi conijciuntur, eſſe certum & corporalem, vel in medio terræ vel infra terram, locum: ſed illos quidem repentina morte interijſſe. Hoc enim eſt viuum in infernum deſcendere, &c. Cæterum ſi clarum Dei verbum quod ſonat, Viui deſcenderunt in infernum, aliud nihil ſignificat, quàm repentina morte extincti ſunt, cur obſecro ſcriptura dixit, Viui deſcenderunt? En viui, inquit, deſcenderunt in infernum: & non, Repentina morte extincti ſunt. Aut cur ſcriptura mox ſubiungit, Et rupta eſt vel dehiſcens ſub pedibus ipſorum terra, aperuit os ſuum, & deuorauit eos? Et addit adhuc ſignificantius, Et terra adoperuit eos. Manifeſtè itaque Brentius deprehenſus eſt in detorſionis ſcripturarum crimine: cui implicatur regulis illis ſuis gloſsiſque ſcripturas explicandi ab ipſomet excogitatis.

Videt

Vident porrò pij quid posthac postquàm in tam turpi detorsionis scripturarum crimine deprehensus est, tribuant in hac causa aduersario, qui prolixè quidem iactitat, se habere testimonia propheticarum & apostolicarum scripturarum, interim verò aperto se prodit indicio, quàm licenter ijs vtatur. Probè ergo singula huius apud se expendát qui falli nolunt, caueántq; sibi diligenter.

Porrò ne in sua hac disputatione absurda, omnium in se cócitaret odia, quasi hac videatur negare infernum, dicit inter alia, Scimus quidem authoritate scripturæ esse infernum. Scimus tam diabolos quàm impios perpetuò in eo torquendos, &c. Ergo si seriò agnoscit & credit verè infernum esse, cur obsecro nostram doctrinam, & nos oppugnat, qui docemus certò infernum esse, & quidem locũ esse paratum à Deo ad puniendum in eo omnes impios? At excipit hæc Brentius, & ait, Non oppugno aut nego infernũ esse, sed nego certum locum esse, & oppugno quòd affirmatis eum in certo loco esse. Nam vbi collocat scriptura infernum intra aut infra terram? Quid verò hactenus ei ostendi? An nõ audiuit, quid dicat scriptura de seditiosis Numeri 16. ca. An non scriptura passim testatur impios descendere in infernum? An non ij qui descendunt,

Brentius fatetur esse infernum.

ad locum aliquem migrant? Si infernus non est certus locus aut in certo loco, sed vbique, certè erimus in inferno vbicunque fuerimus super terram, nec opus erit vllo in infernos descensu. Sed vident hîc apertè, quibus modo sunt oculi aduersarium morbo contendendi tam languere grauiter, vt vix sperari possit ipsum aliquando restitutum iri. Equidem si verè infernus est, oportet sanè illum esse alicubi. Creaturæ quæ nullum locum occupãt aut nullibi sunt, non sunt. Et cur ipsemet dicit, Scimus diabolum & impios in inferno perpetuò torquendos? Si enim in inferno torquentur, profectò negari non potest, locum esse, in quo sunt, & in quo torquentur. Proinde si seriò & verè dicit Brentius se fateri esse infernum, non erit ei posthac difficilè vnà nobiscũ etiam cõfiteri & docere, infernum esse locum certum in vel sub terra: quando ibi illum nobis indicat scriptura, & ibi illum esse semper crediderunt fideles vniuersi.

Brentius & infernum & diabolum collocat in cœlum.

Cæterum mirificas hic ille exercet artes, disputationemq; suam ita contorquet, vt planè appareat, illum malle infernum supra nos in cœlum; quàm infra nos in terram collocando fabricare. Dicit enim apertè, Ergò ne & satan & infernus erunt in regno cœlesti? Quid absurdius dici potest? Fateor, corã sycophantis, &

tis, & ijs qui carnalibus de cœlo & inferno phantasmatis fascinati sunt, nihil potest dici abominabilius. Sed qui sunt in sacris literis rectè eruditi, & non afferunt ad eas sua carnalia somnia, sciunt in Iobe inter filios Dei asisten tes coram Domino, adfuisse & satanam, & col loquutum cum Domino. Et in libris Regum videt propheta Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli asistentem ei à dextris & à sinistris: inter quos & spiritus mendax stetit. Et apud Paulum, Non est nobis lucta aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarū huius seculi, aduersus spirituales astutias IN COELESTIBVS, &c. Hæc ille. Dicat autem nobis ingenuè & apertè Brentius, an hisce testimonijs adductis, existimet se euicisse, dæmonas atque inferos suprà nos esse in cœlis? Si non est ea eius sententia, cur quæso hæc adduxit testimonia? Si autem ea est eius sententia, certum est sanè non tantum sycophātas & irrisores abhorrere ab eius dogmate, quod inferos cum ipsis etiam cacodæmonibus collocat in cœlum, sed hoc quoq; omnibus in mundo pijs abominationi futurum. Ac cernunt hi iam liquidò quò miser hic studio rixandi culpaq; disputationis contra verita-

tem inſtitutæ, peruenerit.

Nec infernũ nec diabolum eſſe in cœlo.

Ne quis tamen arbitretur aduerſarium adductis illis ſuis, teſtimonijs aliquid huius probaſſe, quaſi infernus cum cacodæmonibus ſit in cœlo, ſciendũ eſt, tametſi ſatan inter filios vel ſeruos Dei repertus ſit, inde tamen non conſequi cacodæmones cœlum inhabitare oportere. Ante enim oſtenſum eſt ex ſcriptura, ſatanam cum ſuis angelis è cœlo eſſe deturbatum, in imum vſque barathrum. Deinde confitentur omnes concorditer fideles, Deum non tantùm vbique eſſe præſenté, ſed illum etiam ſemper ſibi ſuas habere creaturas ad ſua miniſteria paratas: non quòd creaturæ & ſatan etiam ſint vbique, ſicut Deus eſt vbique, ſed quod Deus, quia vbique eſt, omnes ſingulasque ſuas creaturas præſto ante ſe habeat, ijsq; ad miniſtrandum ipſi vtatur, ſingulis inquam pro ſuo ingenio, prout cõdidit: ita vt quælibet in ſuo ordine, in ſua natura atque ſubſtantia ſuoq; loco manens, Deo inſeruiat. Ita ſanè nihil eſt neceſſe, vt quando boni Dei angeli ſuo in ordine & in ſua cõditione inq; loco ſuo Deo ſeruiunt, vt & ſatan vnà cum bonis angelis, & vt boni angeli in loco angelorũ, Deo ſeruiat. Poteſt enim inter filios Dei, nimirũ vt miniſter Dei ſtare, id eſt, miniſtrare, ſed ſuo modo, ſuo loco & ratione certa, quæ ipſi

con

conuenit. Id quod posse illum vident oẽs, tametsi non sit in cœlo inter beatos. Et quidem certum est in conspectu Dei esse satietatem omnium gaudiorũ. Ab huiusmodi verò conspectu Dei dudum satanas cum suis est remotus, vt iam nihil illi sit in cœlo negotij neque in cœlo inueniatur: sicuti & antea dixi cap.4.

Quòd autem Paulus dixit nobis luctá esse aduersus spirituales astutias, in cœlestibus, docet quidem dæmonas versantes in aere, in terris & sub terra, tentationibus exercere homines, nõ astruit autem dæmonas cum inferno esse in cœlo in loco beatorum. Sed & Hieronymus hunc apostoli locũ interpretans, Non quo dæmones, inquit, in cœlestibus commorentur, sed quo supra nos aer hoc nomen acceperit. Vnde & aues, quæ volitant per aerem, volucres cœli esse dicuntur. Nam & in alio loco de dęmonibus, quòd in aere isto vagentur, apostolus ait, In quibus ambulastis aliquando iuxta seculum mundi istius, secundum principem potestatis aeris spiritus, &c. Impiũ quippe est vt spiritualia nequitiæ in cœlestibus, istud cœlum tenere credantur, de quo loquitur Deus, Cœlum mihi thronus est. Hæc ille, qui Paulum per semetipsum & per alia scripturę loca exposuit. Et huius interpretationi accedere malo, quàm Brentij, qui allatis hactẽ

Quomodo apud Paulum spiritus nequam sint in cœlestibus.

nus tribus testimonijs scripturæ, non probauit & infernum & dæmonas esse in cœlo. Mirum est autem Brentium in hoc quoq; libro suo acriter mordere Zuingliũ, quod Numam & alios beneficos erga respublicas & regna heroas, in cœlum collocauit, cùm ipsemet Brentius nunc in cœlum nõ vereatur collocare infernum, & ipsum cœlo inferre diabolum.

Inuoluit se hac disputatione Brentius.

Atq; ita se hac disputatione inuoluit & reddit perplexum, vt profecto nescire videatur quid loquatur aut de quibus asseueret, neque commodè & explicatè amplius exponere possit lectoribus suam de inferno sententiã. Nam post adductos illos tres scripturæ locos, Quid igitur dicemus, inquit, quæ est illa Babylon? quæ rerum cõfusio? Hoc non tantùm est cœlum terræ, vt habet prouerbium, verumetiam cœlum inferno miscere. Sed bene habet. Etsi enim nec cœleste seu supernũ, nec tartareum seu infernum regnum corporalibus locis ac locorũ interuallis definiuntur ac distinguuntur, tamen habent suum, idq; vt ita dicam latissimum discrimen. Nam ibi est cœlum beatorũ (authoris verba ex Germanico refero) vbi Deus pater per filium suum Iesum Christũ clemens & misericors est. Ibi aũt est dãnatorũ infernus vbi Deus seuerus & iratus est. An non hoc grande est discrimen? Hæc ille.

Vbi Brentij cœlum & infernus

Quid

Quid autem certi expediti didicit lector simplex ex hac responsione aduersarij? Confitetur ipsemet confusionem esse Babylonicá, quando infernus in ipsum cœlum collocatur cœlumq́; terrę permiscetur. Et rectissimè quidem ita sentit, optimè sanè ita iudicat, interim proprio suo ore semetipsum iusto iudicio condemnat. Nam responsione sua confusioné Babylonicam ab ipso inductam nōdum sustulit. Testor ipsos quotquot hæc eius lecturi sunt lectores. Ait disertè cœleste & tartareũ regnũ inter se nullis distingui locorum interuallis. Quod si nullis inter se locorum interuallis dirimuntur, profectò indistincta, mixta atq; confusa sunt ac manent: habemusq́; iam à Brentio nostro, nō nihil, sed nouum quoddam indigestumq́; Chaos, quod ipsemet Babylonicá nuncupauit confusionem. Quod enim mox ille subijcit, in eo patere discrimen ingens, quod ibi est cœlum, vbi est gratia Dei, & ibi est infernus, vbi est ira Dei, minimè tollit ab ipso inductam Babylonicam confusionem. Etenim cum scriptura nobis perspicuè tradat iram Dei de cœlo reuelari super omnem iniustitiam & impietatem hominum, per vniuersum terrarum orbem, consequeretur profectò ex doctrina aduersarij, infernum esse per vniuersum terrarum orbem. Si item

cœlum ibi esset, vbi gratia Dei est, iam iterum consequeretur ex doctrina aduersarij, cœlum (sedem beatorum) expandi esseque per vniuersum terrarum orbem. Quia gratia Dei se largiter effundit per vniuersum orbem terrarum. Nondum ergo discussa est per Brentium inducta confusio Babylonica & indigestum illud chaos. Quinimò cùm Dominus singulariter Solomoni promiserit clementem se propitiũq; supplicibus in templo Hierosolymitano futurum, an ideò collocabimus in templum illud, cœlum sedem beatorum? At cum hoc semel & iterum à Babylonijs atque Romanis sit inflammatum, an dicemus pariter & cœlum tunc conflagrasse? Ex his omnibus deprehendit Lector prudens Brentium disputatione illa sua planè inepta & intempestiua semetipsum pręcipitem dedisse in barathrũ Babylonicæ confusionis, vnde non facilè emerserit, quoad ita vt cœpit perrexerit manere μισότεχνος.

Abrumpam hic responsionis meæ partem priorem, quam impendi explicandæ quæstioni de Cœlo & Inferno certis beatorum infeliciumque supra & infra locis. Ea omnia excutienda dijudicandaq; Christiano lectori subijcio. Sum autem spe plenus optima, fore, vt lector prudẽs, victus perspicacia vetustate euidentiaq;

dentiaq; infallibilis veritatis, abiecturus sit noua Brentij commenta de cœlo vbiquario & Inferno apud superos extructo, amplexurusq; sit ambabus, quod dici solet, vlnis, doctrinam simplicem & veterem scripturæ, Cœlum videlicet locum esse beatorum supra nos in excelsis: quo ascendit Dominus noster Iesus Christus, sursum tendens, & in quem locum omnes ad se fideles assumpturus est: infernũ verò locum esse certum infeliciũ vel damnatorum, infra nos, præparatum à Deo omnibus impijs & inobsequentibus, vt in hunc tandem descendãt & supplicijs exerceantur nunquam terminandis. Dominum Deum nostrum supplex oro, vt nos omnes ab infandis illis sempiternisque inferorum tormentis eripiat, sibiq; in regno illo suo cœlesti, in vera illa & beata patria nostra, associet. Per Iesum Christum Dominum nostrum.


SECVNDAE HVIVS PARTIS

CAPVT SECVNDVM.

De Dextera Dei patris certo in cœlis loco.

Quid sit Dextera Dei *patris, & quod in scripturis etiam locum in cœlis certum, beatitudinis uidelicet fidelium, significet.*
CAP. I.

Scopus huius dissertationis.



RANSEO nunc à Cœlo ad Dexteram Dei patris explicandam, ostensurus qua significatione illa vsurpetur in scripturis sanctis, & apud beatos patres, et quomodo sedeat Dominus noster Iesus Christus, ad dexteram Dei patris. Respõdebo interim & ad Brentij argumenta, vt colliquescat palàm, doctrinã meam de Dextera Dei, veterem & Christianam esse doctrinam. Ante omnia verò breuiter oportet repetere, in quo versetur causæ huius nostræ controuersia. Rectissimè enim iudicatur Andabatis nocturno prælio commissis inter se, similes esse, qui non diligenter obseruato statu differunt.

In quo uersetur huius causæ controuersia.

Liben-

Libenter ego agnoſco Chriſtum Dominum aſcendendo vel ſedendo ad Dexteram Dei Patris, aſſequutum eſſe dignitatem ſupremam, quodque tranſcenderit omnem principatum & poteſtatem, ſitque rex ſummus & Deus verus in gloria, &c. Nec nego Dexteram Dei in multis ſcripturis locis, accipi pro immenſa Dei potẽtia. Quibus addo in eadem ſcriptura ſancta & apud beatos patres Dexteram Dei etiam vſurpari pro certo beatitudinis loco in cœlo, propter aſſumptam, & nunquam depoſitam carnis Chriſti veræ naturá, vt ſedere ad Dexteram Dei patris ſignificet ipſum Domini corpus aſſumptum, vti erat excitatũ ex mortuis, nunc requieſcere in cœlo, in loco beatorum, &c. Contra verò Brentius, Dextera Dei nõ eſt certus locus, inquit, in corporeo & locali cœlo, quemadmodum Zuingliani imaginantur, nec eſt talis tantùm felicitas, qualis in cœleſti regno continget omnibus in Chriſtum credentibus, ſed eſt ſumma & infinita Dei maieſtas atque omnipotentia eius. Multis porrò ſcripturæ teſtimonijs affirmat, quod dixit, Dexteram Dei eſſe infinitam maieſtatem & potentiam Dei.

Cęterum ea probatione nihil apud me fuiſſet opus, qui ſæpe dixi & iterum repeto, me non negare alicubi Dexteram ita vſur-

Dextera Dei significat quoque locũ in cœlo in beatitudine sanctorum.

pari in ſcripturis, neque inficias ire Sedere ad dexteram patris eſſe, in ſumma maieſtate Deo patri conregnare. Quod verò ille id quod ego aſſero negat, dexteram ſignificare illam felicitatem & ſedem quæ beatis cõmunicatur, euidenti demõſtratione euincam ipſum hoc negare iniquiſsime. Nihil enim certius eſt quàm neminem hominum & nullá adeò creaturam, qualis qualis ſit, exaltari ad dexteram Dei, in æqualem maieſtatem & gloriam cum Chriſto. Quid enim apertius eſt, quàm quod dicit apoſtolus, Cui verò vnquam angelorũ dixit, Sede à dextris meis? Quod ſi angeli non collocantur ad dexteram Dei, quátò minus euehentur in illam maieſtatem miſeri mortales? Rurſus autẽ nihil certius eſt, quàm quod ſcriptura ſancta fideles collocat in thronum Chriſti et ad dexteram Dei patris. Proinde neceſſe eſt nos illuc collocari longè alia ratione ſignificationeq; quàm priore, nimirum ad dexterá Dei & in thronum Chriſti, táquam in locum beatitudinis, à Chriſto nobis paratum, in quo ipſe etiam Chriſtus pro veritate naturæ humanæ habitat ac requieſcit, & de quo dixit in euangelio, Aſſumam vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, ibi & vos ſitis. Et iterũ, Vbi ego ſum ibi erit & miniſter meus. Item, Volo pater, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, quos dediſti mihi.

Heb. 1.

Ioan. 14.

Ioan. 12.

Ioan. 17.

mihi. Rursus, Cùm ſedero in ſede maieſtatis meæ, ſedebitis vos mecum, & cætera. Matthæi 19. Lucæ 22.

Et quamuis hæc euidentia & clara ſatis ſint etiam nos in cœlum cum Chriſto, quamuis noſtro pro modulo, collocandos, aduerſarius autem quiritari poterat me nondum diſertis comprobaſſe verbis, nos etiam in thronum Chriſti, & ad dexteram Dei euehendos, ex abundanti, vt aiunt, hæc iam ſubijcio teſtimonia. Chriſtus dicit apud Matth. in 20. cap. Sedere ad dextram meam, ijs obtinget quibus paratum eſt à patre meo. Et iterum Apocal. 3. cap. Qui vicerit, inquit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & conſedi cū patre meo in throno eius: Rurſus verò ſcribit apoſtolus Paulus ad Epheſ. cap. 2. Cùm eſſemus mortui per delicta conuiuificauit nos vnà cū Chriſto (per gratiā eſtis ſeruati) ſimulq; cū eo reſuſcitauit, & ſimul cū eo ſedere (en cū eo ait ſedere) fecit in cœleſtibus per Chriſtū. Ex quibus quidem apoſtoli verbis mutuo videtur accepiſſe hanc ſuam beatus Auguſtinus ſententiam, dicens, Corpus Chriſti quod eſt eccleſia, in ipſa dextera, id eſt, in ipſa beatitudine futurum eſt, ſicut apoſtolus dicit, Quia & nos ſimul ſuſcitauit, & ſimul nos ſedere fecit in cœleſtibus. Sed & ex hoc ipſo apoſtoli

Sedebunt fideles quoque ad dexteram Dei.

loco S. Hieronymus exponens locũ illũ apostoli, dicit fideles futuros ad dexteram Dei. Hisce diuinis et humanis testimonijs breuiter demonstraui, spero, aduersarium in sua descriptione Dexterę Dei, contra veritatem apostolicam, inseruisse dexteram Dei non significare felicitatem, qualis in cœlesti regno obtinget omnibus in Christum credentibus.

Bullingerus ex aio & non ficte confitetur dexteram Dei, &c.

De his non indiligenter, opinor, & antea in prima illa Responsione mea disserui: quibus tamen video me non plus profecisse apud aduersarium, quàm quod is modo, Bullingerus duplicem facit significationem, ait, dexteræ Dei: & confitetur quidem verbis, se agnoscere dexteram Dei esse omnipotentiam & maiestatem Dei, & Christum conscendendo ad dexteram patris, assequutum esse dignitatem supremam, ac transcendisse omnem principatum & potestatem esseque regem summũ & Deum verum in gloria, per quem omnia fiant gubernentur atque conseruentur, &c. Sed interim reprehendit Brentium, quod non agnoscat alterá dexteræ Dei significationẽ, quam dicit esse certum in cœlo beatitudinis locum. Cùm autem ego requiro & expecto firma huius posterioris significationis dexteræ Dei testimonia, ecce tibi clamorem quidem multum: sed pro thesauro carbones. Hæc ille. His

autem

autem ille verbis ſanè vehementer faſtuoſis, mea in ſuſpicionem rapit,quaſi verò ore duntaxat non etiam corde fatear dexteram Dei & omnipotentiam Dei ſignificare. Cur verò non didicit ille ex apoſtolo, ſuſpiciones, & ex his enatas contumelias numerari inter ea carnis opera, quæ graue Dei ſuſtinent iudicium? Ego certè quod ore ſimplici fateor de dextera Dei eiuſque omnipotentia, credo etiam corde ſyncero. Cùm ille à me requirit teſtimonia ſecundæ meæ ſignificationis Dexteræ Dei, additque hic me illi pro theſauro exhibere carbones, perinde nunc mecũ agit, atque antea quoque egit,in cauſa aſcenſionis Domini in cœlũ. Ac demiror vehementer aduerſarium illa opponere mihi idq; in omnium eorũ conſpectu,qui & viderunt & legerũt meam reſponſioné, deprehenderuntq; in ea me,pro mea cauſa euidẽtia adduxiſſe teſtimonia: quæ ille modò perinde prçterit ac ſi viderit nihil. Et ne hîc ſingula repetã quæ ibi recenſui, quid reſpondet obſecro ad hæc clariſsima ſancti Pauli ad Hebræos verba, Chriſtus conſedit in dextera maieſtatis, in excelſis.Et iterum ad Coloſſ. dicit idem apoſtolus, Si reſurrexiſtis vnà cũ Chriſto,ſuperna quærite,vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Quis hîc obſecro ingenij eſt vſqueadeò retu-

Dextera Dei locus ſupra nos in excelſis uel in cœlo.

ſi ſtudioque contradicendi furens, qui negare auſit verba apoſtoli, In excelſis, & In ſupernis, Vbi eſt, En vbi eſt, nunquam ad Vbiquitatem extendi, ſed certum nobis locum in cœlo denotare? Hæc & alia ex beatis quoq; propoſita patribus, cùm aduerſarius nunquam euertere poterit, perſtabat perſtabitque firmis ſuffulta teſtimonijs altera illa noſtra Dexteræ Dei ſignificatio. Sed & iure in aduerſarium retorquere poſſum, quod iniquè in me detorſit, illum ipſum, non vni mihi, ſed multis pro theſauro obtrudere carbones.

Beatos patres diſertè teſtificari Dexte*ram* Dei *etiam accipi pro certo beatitudinis loco.* CAP. II.

Quare teſtimonia patrum de Dextera Dei ſint adducta.

ET quidem libenter inter differẽdum deflectit à propoſito vel ſtatu, de quo agitur, aduerſarius, neq; mea illa ſemper eo adducit modo eumq; in finẽ dirigit, quo à me ſunt propoſita. Sic in alium quidem finem beatorum patrum de Dextera Dei teſtimonia, protuli, quam nunc videatur ille interpretari. Dixerat is alteram illam meam dexteræ ſignificationem, quod & locum in cœlo beatitudinis ſignificet, nouum eſſe commentum & doctrinam hactenus auditam nunquam. Ea occaſione adduxi ego aliquot veterum patrum ſententias, quibus cõmonſtrarem etiam ante

annos

annos mille in ecclesia sic sensisse de dextera Dei veteres, eaq; de caussa meam de dextera Dei sententiam nec nouam esse nec inauditam hactenus.

Ac spero hac de re adducta per me S. Cypriani, Theodoreti & Augustini testimonia tam esse luculenta &euidentia, vt quamuis conetur aduersarius verborum nebulas lectorũ offundere oculis, nihil tamen artibus suis apud eos sit effecturus, sed veritatem perpetuò in semetipsa permansuram illustrem & efficacem. Dilucidissima sunt S. Cypriani verba. Nam dicit, Sedere ad dexteram patris carnis assumptæ mysterium est: neque diuina, sed humana natura sedem cœlestem conquirit, &c. Cumque idem ille author paulò antè dixerit. Ascendit ad cœlos, non vbi verbum Deus ante non fuerat: quippe qui semper erat in cœlis, & manebat in patre: sed vbi verbum caro factum, ante non sedebat, nemo est qui non liquido cernat, Cyprianum neque sedem corporis Christi, neque ipsum corpus Christi commonstrauisse vbique, sed supra nos in cœlo. Frustra verò Brentius subsidium quærit in re nihili, dicens, Sed cum addit cœlestem, eo ipso significat, se non loqui de sede quadam terrena hoc est circumscripta, &c. Neque enim nosipsi, si ignorat Brentius, Cyprianus

conſtituimus ſedem in cœlis terrenam, id eſt corruptibilem, ſed tamen dicimus locum eſſe certum, & congruum illum quidem corporibus clarificatis: quæ cum vera maneant in ſua ſubſtantia corpora, certè circumſcripta oportet ſanè illa loco aliquo certo comprehendi. Quæ ille præterea infarcit de ſedibus neſcio quæ, ipſo ſunt authore profecta.

Theodoretus.

Non minus dilucidum eſt & Theodoreti, quod adduximus, teſtimonium. Nam ita ſonat, Sedere in throno gloriæ, & ſtatuere quidem agnos à dexteris, hœdos verò à ſiniſtris, id quod circumſcriptum eſt ſignificat. Intellexit ergo & hic eccleſiæ doctor per dexteram locum in cœlo beatitudinis certum. At cum Brentius dilucida illa commode obſcurare nequeat, admodum incommode orditur & loquitur neſció quæ de iudicio extremo. Nam inter alia affirmat iudicium extremum futurum perpetuum, quod inquam nunquam vllum ſit habiturum finem. Id quod falſiſsimum eſt pugnatque cum ſcripturis & ſenſu illo catholico omnium fidelium: niſi forte intellexerit ſupplicium, quod ſumet de impijs ſine fine Dominus. Verum ſi ea eius fuiſſet ſententia, potuiſſet ipſam exprimere ſignificantius. Scriptura ſancta teſtatur venturum Dominum noſtrum Ieſum Chri-

Iudicium extremum facit Brent. perpetuum

Iudiciũ extremum nõ fore æternũ

Christum in nubes quæ supra nos sunt, ad iudicandum viuos & mortuos: in nubibus autem non permansurum, sed absoluto iudicio, rediturum vnà cum ecclesia sanctorum omnium, in cœlum gloriæ. Vnde sanè colligitur iudicium Christi non fore æternum, sed habere suum finem, suisque contineri terminis.

Subiungit ille his, Iudicium extremum nō futurum tam crassum spectaculum, vt instituatur externum tribunal vel in his terris vel in nubibus, quale quid in his soleat mundanis fieri consistorijs. Et iterum, Quis, inquit, ad tam pueriles & aniles cogitationes non rideret? Et mox, Reuera erit hoc cœleste & perpetuum, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, ideoque haud quaquam verè dici potest, esse loco circumscriptum, &c. At miror profectò vehementissime, quomodo vllus potuerit risus huius hominis animum subire in tractatione seuerissimi, interim tamen iustissimi extremi huius iudicij. Demiror vehementius quid tandem sit ille de negotio Christianæ religionis nostræ pronunciaturus, an nihil in eo amplius agnoscere velit vel locale vel corporale aut circumscriptum? Opinatur ne ille omnia fore inuisibilia & insensibilia?

Iudicium extremum crassum spectaculum.

Aut qd ille nobis narrat de crasso iudicij spectaculo? Remoueat ille suū illud crassi consistorij tribunal & locum cedat scripturæ sanctæ, ita verò iudicium extremum non erit crassum. Quod enim scriptura nobis spectandum proponit, non debet illi crassum videri. Christus summus ille iudex Brentio rectius profectò tenet totum huius sui iudicij processum, vtpote qui solus ipse iudicabit, atq; eo modo iudicabit, quomodo verbo suo nobis exposuit, neq; fefellit aut seduxit. Christus in quā summus ille iudex in sacrosancto euangelio & per electos suos apostolos, aperte testa-
1.Cor.15. tur, quod aduentante iudicij die (habebit hoc
Matth. 14. certum tempus & locum certū) angelus Dei
2.Thess. 5. descensurus sit è cœlo, cum tuba, vocaturusque sit omnes ad iudicium, & quod vniuersi
Matth.25. absque mora comparituri sint in proprijs suis
2.Cor.5. corporibus coram tribunali Christi, cum proprijs suis animabus, Christum verò descensurum è cœlo in nubes, ac se exhibiturum ibi conspicuum vniuersę carni, pronunciaturumque
Matth. 25. iudicem iustum suam de bonis & malis sententiam, & quod electi Dei fideles obuiam Christo sursum in aera sint rapiendi, & vnâ cum Christo assumendi in æternam gloriam, in qua cum ipso æternùm sint permansuri. Quemadmodum reprobi infidelesque anima-

nimabus & corporibus ſuis in tartara ſint præ cipitandi, vt ibi æterna ſuſtineant ſupplicia vnà cum ſatana & omnibus eius angelis. Iſta omnia tradit nobis verbum Dei: iſta omnia credunt filij Dei: iſta omnia non aliter quàm nobis expoſita ſunt à verbo Dei, perficientur. Quandoquidem itaque Chriſtus in nubibus ſeſe conſpiciendum exhibebit, quem in locum deſcendet cœlitus: Quandoquidem item ipſum vniuerſorum oculi, eorum quoque qui ipſum transfixerunt, viſuri ac cõtemplaturi ſunt: Quandoquidem denique fideles obuiam Chriſto rapiẽdi ſunt in aera, & ſequuturi deinceps dominum vt ſemper cum illo permaneant in regno cœlorum: quæ quidem omnia abſq; loco & tẽpore perfici nõ poſſunt, vident profecto omnes, quibus modo ſunt oculi, Brentium contra fidem veram & ſcripturam ſanctam, dixiſſe iudicium extremum nullo loco eſſe circumſcriptum, ſed tale quale oculus non vidit, auris non audiuit, &c.

Atq; hoc quidem S. Pauli & beati Iſaię teſtimonio & in præſenti & aliquot in locis libri huius alijs, turpiter ille abutitur. Cũ enim ſerui Dei dicãt gloriam illam cœleſtem excellentiorem eſſe, quam nunc poſsit comprehendi eius excellentia noſtris ſenſibus, nec vnquam eis venerit in mentem iudicium extremum

Quæ oculus non uidit & auris nõ audiuit, &c.

fore inuisibile, pergit tamẽ ille suas illas phantasias præsidio huius loci ornare atque tueri. Sed videat ille caueatq; ne leptologia illa sua tandem vera corporaliq; salute excidat.

Dextera filij & dextera patris.

Sed quid obsecro confecit, quãdo ait apud Matthæum mentionem fieri dextræ filij, & non dextræ patris? Quid oro est dextera filij, ad quam statuit suas ouiculas, nisi locus æternæ beatitudinis? Quid est autem dextera patris ad quam consedit Dominus, significatione altera aliud, quàm locus æternæ beatitudinis? Et quatenus quidem dextera significat locum beatitudinis, vna duntaxat est beatitudo & patri & filio communis.

Reducitur ad statum.

Vtcunq; verò ista habeant, lectorem Christianum adhortor, vt in hac disputatione diligenter obseruet, quid hisce aduersarijs omnibus suis obiectionibus effecerit Brentius, an ne euicerit veteres ecclesiæ doctores, quos ad duxi, per dexteram non intellexisse locum æternæ beatitudinis? At nihil minus effecit. Ego verò demonstraui meam de altera dextræ Dei significatione nec nouã esse nec à me primum confictã. Et si Theod. parum apposite locũ ex Math. 25. cap. adduxisset, nihilominus tamen per dexterã Dei intellexisset locũ beatitudinis. Vnde rursus colliquescit meã sententiam de dextera patris, non nuper domi meæ

esse

esse natá. Verum singulariter S. Theodoreto & mihi infensus est aduersarius: vnde táto nobis inhiat feruore, sicubi cōprehēdere queat.

Nihilo ei succedit felicius tractatio testimonij sancti præsulis Augustini. Iactitat quidem, more suo, memetipsum ei offerre gladium quo me iugulet, dum Augustini verba pro me adduco. Sed experiamur agè, quam feliciter ille eo vtatur gladio, quem sibi à me in manus datum gloriatur. Annón perspicue dicit Augustinus, Dexteram patris esse beatitudinem perpetuá, quæ sanctis datur? Quid verò aliud ipse doceo? Quomodo aũt beatitudo communicetur sanctis, dictum est antea, non quod illi vbiq; sint, sed quod ꝑ ratione gloriosorum corporum, in aliquo sint cœli loco. Falsus est itaque sua opinione Brentius, qui existimauit à me sibi datum in manus gladium, qui tamen nunc & in manubrio fractus & acie retusa ineptus plane deprehenditur. S. August.

Vehementer autem ille hic nobis irascitur, ac, Quæ est hæc vertigo? inquit, si ad hunc modum licet dicta sanctæ scripturæ & patrum allegare, nihil tam absurdum, nihil tam impium est, quod non è scriptura & patribus probare tibi videaris. Sed desinat ille nobis ita esse infensus, neque sæuiat in nos tantopere bonus Chremes. Est sanè aliud Abuti testimonijs scripturæ & ueterum.

quod agat, ostendat potius Augustinum à nobis diuersa docuisse, & quod dextera Dei non sit locus beatitudinis, sed diffundatur per omnia. Alioqui nunquam instituimus quicquá vel absurdi vel impij probare testimonijs beati Augustini: cuius ille testimonium aliud huius generis inspicere, si libet, potest, contra sermonem Arian. 12. cap. & expendat apud se tranquille. an ex Augustino absurdum impiúmue aliquid doceamus.

Beatitudo superat intellectum humanum.

Fucum verò hic ille noster rursus quærit quo tingat res suas morbidas atque pallentes, ne veritati victrici manus præbere cogatur, & ex Augustino hæc sibi verba decerpit, In illa quippe beatitudine, quæ omnem humanum superat intellectum, sola dextera est, & eadem dextra eiusdē beatitudinis nomen est. Quibus mox subiungit, Affirmat beatitudinē illam superare omnem humanum intellectū. Quid ergo Bullingerus somniat de loco circumscripto, qui humana cogitatione & intellectu facile cōcipi potest? Ad ea sic respōdeo, Tametsi excellentia gloriæ in æterna illa beatitudine, omnem intellectum superat humanum, attamen oportet beatitudinem illá esse alicubi, vbi electis Dei obtingat. Ideoq; non sequitur, quod quia beatitudo excellentissima est, iccirco locum non habeat vllum.

Licet in præſentia dum adhuc infirmitate car nis noſtræ aggrauamur, non omnia capiamus arcana cœleſtia, clarificati tamen aliquādo omnia illa ſicuti decet, & prout confert perfectaq; requirit beatitudo, intelligemus aſſequemur ijsque ad iucundam ſatietatem perfruemur. Plus mihi in his meis craſsis, vt vocat aduerſarius, ſomnijs, placeo & gratulor, quam in ſubtiliſsimis illis Brentij phantaſijs, ſalutem veram ita nobis diluentibus atq; extenuantibus, vt neſcias vbi ſit aut quid ſit.

Rurſus verò ille, Auguſtinus, inquit, in beatitudine ſolam dicit eſſe dextram, non autem ſiniſtram. Quid ergo nobis ſupra ex Theodoreto de ſiniſtra Dei oppoſuit, cū Auguſtinus dicat hic ſolam eſſe dexterā? Et his protinus ſubiūgit, Vides ergo Bullingere, quam dextre tuam dextrę ſignificationem è ſcriptura & patribus probaueris. Video ſanè video mi Brenti per Dei gratiam, Auguſtinum diſertis verbis dexteram Dei nuncupare eam beatitudinem, quæ ſanctis datur. Video itē Brentium vtcunq; ſe torqueat & in omnes partes ſe vertat, nihil poſſe contra hoc adferre teſtimoniū apertum. Video denique illum ſua illa diſputatione ita ferri tumultuanter, vt non male referat anhelum aliquem aurigam, qui quo feſtinat incogitantius, eò currum euertit citius. Sola dextera in beatitudine.

Legat ille Auguſtinum de Agone Chriſtiano, & intelliget, ne tantillum quidem hunc diſsidere à Theodoreto, imò vtrũq; propè eadem vſurpare verba. Aut cur quæſo tantopere vrget aduerſarius illa beati Auguſtini verba, Sola in beatitudine dextra eſt, nõ autem ſiniſtra. An non videt illa non contra me ſed contra ipſum facere? Collocauit enim infernum in Cœlo, vnde Auguſtin. ipſum eiecit, negans ſiniſtram eſſe in æterna beatitudine. Sed quid pluribus opus? Spero, pios lectores, dudum vidiſſe, me id quod mihi ſumpſi probandum, dexteram patris etiam ſignificare locum beatitudinis, abunde ſatis comprobaſſe & ſcripturarum & beatorum patrum teſtimonijs.

Vnum atq; idem uerbũ in ſcripturis uarias admittit ſignificationes.

His adhuc veluti auctarium adijcit, & dicit, Sed quid multis opus? Si concedis dexteram Dei, ad quam ſedet homo à Deo aſſumptus ſignificare omnipotentiam & maieſtatem Dei, certè eo ipſo negas ſignificare certum & circumſcriptum locum. Omnipotentia enim non eſt certus locus, &c. Et mox, Reliquum igitur eſt, quod vt nomine dextræ Dei, non venit certus & circumſcriptus locus, ita præcipuum fundamentum, quo nouum & inauditum Bullingeri dogma de dextera Dei conſtare videbatur, concidat neceſſe eſt. Cæterum contrarium cernunt prudentiores omnes

nes, & præcipuè id quod videtur aduersario firmum esse, deprehendunt illi futile esse & elumbe. Quis enim mentis sanę negauerit vnũ atq; idem verbum in scriptura, varias frequentissime admittere significationes, idq; pro ratione rerum quarum sunt verba, & pro ratione circumstantiarum: ita vt qui secundam aut tertiam significationem protulit, primam minime negarit. Brachium in scripturis accipitur alicubi pro diuina potentia. Hanc significationem non negauit, qui dixit brachiũ præterea omne id significare, cui homo fidit, & vnde aliquod sperat auxiliũ. Ita Baptisare apud Marcum significat vrceos æramenta & alia è suppellectile abluere atq; mundare: Alicubi significat peccata purgare, & inserere in Dei populum. Baptisari quoq; affligi est. Eodem modo Benedicere accipitur pro laudare, gratias agere, & ample prædicare nomen domini. Benedicere præterea est execrari & maledicere. Quis verò mentis sanæ colligit & dicit? Hic vsurpat benedicendi vocabulum pro maledicendi, ergo negat benedictione laudare Deum homines? Proinde cum dedi per dexteram Dei intelligi omnipotentiam Dei, eandem sanè non negaui & pro certo beatitudinis loco accipi, aut quia locum beatitudinis illa significat, negaui vsurpari

Brachium.

Baptisare.

Benedicere

& pro maiestate Dei. Ergo dum arbitratur aduersarius præcipuum meum fundamentum corruisse, cernũt æqui lectores omnes, ipsum vertigine, quam mihi libẽter iterum inijceret, correptum, in eam incidisse foueam, quam mihi parauerat.

De seßione Christi ad dexteram Dei, & de habitatione eius in cœlo, & loco Augustini, Tolle spacia locorum, &c.

CAP. III.

Sedere ad dexteram Dei duplicem habet significationem.

QVando verò euicimus iam dexteram Dei in scripturis usurpari non tãtum pro maiestate Dei omnipotentiaq;, sed & pro loco beatitudinis in Cœlo, sanè nihil erit porrò necesse multis probare, quod ex istis sua sponte sequitur, & sedere, sicuti in scripturis alicubi occurrit, significare & quiescere & sedem æternæ felicitatis inhabitare. Ne quid tamen hic obscuritatis quenquã impediat, sciendum est sedere duplicem habere significationem. Principio enim sedere est exaltatum esse & regnare in omni gloria & maiestate. Deinde significat requiescere & æternam felicitatẽ inhabitare. Vtraque hæc inueniuntur in exaltato Christi corpore. Alteram verò istarum non agnoscit Brẽtius significationum. Dicit enim, Sedere ad dexteram Dei non est sedere

ſedere,ſtare,aut deambulare (nec mirum eſt ſi nõ interdum ſecundum Zuinglianos,iaceat quoq; dominus & caput ſuum in lectum recli net)in certo loco corporalis cœli,ſed eſt orna tũ eſſe æquali maieſtate & omnipotentia Dei. Quoniam verò paulò ante commonſtratum eſt etiam ſanctos ſedere ad dexteram Dei & ſuper throno Chriſti,& tamen non coæquali maieſtate & gloria cum Chriſto ſedent,conſe quens ſane eſt ſedere alteram quoq; admitte- re ſignificationem : vt Chriſtus quidem illo ſuo excellentiſsimo primoq; modo ſedeat ad dexteram Dei,exaltatus in omnem Dei maie ſtatem & gloriam : deinde verò & ſancti cum ipſo,ſecundum verbum eius,ſedeant,altero il lo modo & ſua ratione. Habitant enim ſancti cum Chriſto in Cœlo, ſed non ſunt Chriſto in maieſtate coęquales. Nam tametſi & ipſi di cantur regnare,non tamẽ pari ſunt cum Chri ſto gloria præditi.

Iam quod aduerſarius iterum ludit vexat pungit lœdorijsq; agit,adducens rurſus Zuin glianorum Chriſtum in Cœlo ſpaciantem & iam etiam in lecto cubantem, pro leuitate ſua ſolita agit.Potuiſſet, ſi ſaperet,omnibus iſtis facilè abſtinere. Perinde loquitur ac ſi ea ſit noſtra ſententia,quę fuit nunquã:quaſi Chri- ſtum cœlo includamus, in quo illi conuerſa-

Ad dexteram Dei ſtare ſpaciari ſedere.

tionem affingamus mundanam prorſus. Verum antea diximus, & paulò poſt repetemus nihil tale vnquàm nobis veniſſe in mentem. Hoc palàm ex verbo domini ſentimus & docemus, Chriſtum vero ſuo corpore pro ratione clarificati corporis (quod quidem verum corpus manet, habens carnem & ſanguinem, neque mutatur in ſpiritum) Cœlum inhabitare, deniq; ſanctos quoq; in ipſiſmet corporibus ſuis clarificatis vnà cum Chriſto habitaturos in Cœlo. Quod & Hieron. teſtatur & ait, Sicut Chriſtus ita & nos poſt reſurrectionem eadem habebimus membra, quibus nunc vtimur, eaſdem carnes & ſanguinem & oſſa: quorum in ſcripturis ſanctis opera, non natura dánantur. Nam hæc eſt vera reſurrectionis confeſsio, quæ ſic carni gloriam tribuit, vt non auferat veritatem. Sic & dominus noſter in mõte transfiguratus eſt in gloria, non vt manus ac pedes cæteraq; membra perderet, & ſubito in rotũditate vel Solis vel ſpherę volueretur: Sed eadem membra Solis fulgore rutilantia apoſtolorum oculos perſtringerent, &c. Contra Ioan. Hieroſol. epiſc.

Chriſtus in certo cœli loco nõ coactus.

Quod verò Chriſtus dominus vero ſuo corpore in Cœlo eſt ac habitat corporaliter, non autem vbiq; præſens inuenitur, id quidem eſt bonæ ipſius volũtatis diuiniq; ordinis. Quod autem

autem sancti in cœlo & non vbiq; futuri sunt, est & hoc ipsum ordinationis diuinę, Et quomodo possumus nos aliter loqui de hisce reb. quam accepimus didicimusq́; ex verbo domini? Petrus apostolus, Christū oportet ait (En oportet disertè ait, cum interim nos nullam intelligamus necessitatem coactam sed spontaneam eius voluntatem & Dei ordinationē) Cœlum accipere vsq; ad tempora restitutionis omnium, &c. Actor. 3. Sed & Paulus dicit quod id quod in homine est mortale & corruptibile, oporteat induere immortalitatem & incorruptionem: & quod nostris corporibus obuiam simus prodituri, vecti per aerem, aduentanti in iudicium domino, secuturiq́; hūc & semper cum ipso futuri quem & oculis nostris simus inspecturi. Cumq́; hæc omnia sint longè certissima & fide nostra catholica & orthodoxa sancte cōfessa, non poterit non & in dubitatū illud quoq; esse, quod in alio illo seculo, in cœlo vel in regno Dei fideles non sint similes futuri idolis aut truncis, qui nihil neq; sentiāt, neq; videāt, neq; audiāt, aut immoti in locis in quibus futuri sunt hæreant rigeantq́; statuarum instar. Neq; verò in purā spiritus substantiā mutabuntur corpora nostra. Habituri aūt sumus nostra met corpora & proinde mēbrorū vsum ꝓ rōe clarificatorū corporū. Conuersatio nostra in cœlo qualis?

Vbi tamen nemo à me expectabit exactam explicationem modi & rationis omnimodæ, qua mouebuntur & exercitabunt ſe clarificata in Cœlo corpora. Libenter in ſpe ſuſtineo dominum; vt aliquando illa omnia coràm in cœtu ſanctorum inſpiciam & experiar: Interim verò nec pudebit nec pigebit me loqui cũ ſcriptura. Illa verò apertè dicit nos accubituros, requie fruituros, ſeſſuros, habitaturos, futuros in gaudio vbi ipſe eſt, viſuros Deum, ſequuturosque Dominum, qui deducturus ſit nos ad viuos fontes aquarum, &c. Hæc ſi ridet atq; ſuggillat adhuc Brentius, vociferãs Zuinglianos fabricare ſibi Mahumedicum cœlum, ſecuri ſumus nos, vtpote qui certò nouimus nos à parte noſtra habere verbum Dei, cui ille impiè inſultat & nos aperta afficit iniuria. Compeſcet opportuno tempore dominus inſolentiam iſtam inſultantis aduerſarij.

Is porrò hic magno conatu incipit coaceruare plurima ſcripturæ teſtimonia, quibus oſtẽdat ſedere id ipſum eſſe quod in æquali maieſtate regnare. Forſan libenter incaſſum laborat actumq; agit. Cum enim nõ negem, quod ille aſſerit, ſicuti non inficias eo & dexteram Dei vſurpari pro omnipotẽtia Dei, quorſum pertinet laborioſa illa probatio? Vt ſe auditori venditet. Cur non reſpondit potius ad illa,

quæ

quæ ſunt in controuerſia, ſicuti & antea ab illo requiſiui. Quod his adijcit maieſtatem Dei comprehendere & omnipræſentiam corporis Chriſti, ſuo excutietur, Deo volente, loco.

Præfatur alicubi in hoc ſuo libro, quaſi de nouo aggreſſurus & euerſurus teſtimonium Beati Auguſtini ad Dardanum, Tolle corporibus ſpacia locorum, nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt, &c. Verum cum nūc nihil ferè dicat, quod antea in ſcripto priori, cui reſpondi, non dixerit, breuitatis gratia hæc addo, Teſtimonium hoc Auguſtini in ecclesia Chriſti certò ſatis, vtcunq; impugnetur à Brentio & ſocijs, incolume inuictumq; futurum. Tametſi enim conetur hoc rapere in ſuſpicionem, quaſi ipſemet Auguſtinus hanc ſententiam pronunciarit καθολικῶς, atque ita ne ipſe quidem habuerit pro vera & ſacroſancta, fruſtra tamen laborat. Et vtcunque miraculi præſidio veritatem corporis Chriſti extenuare pondereq; & mole liberare contendat, Auguſtinus tamē ipſe perpetuo & manifeſte clamat, Corpus Chriſti eſſe in cœlo & permanere corpus verum, quod locum & circumſcriptionem ſuam habeat, vbique autem non ſit. Hoc negare non poteſt Brentius, vtcunque ſe in omnes formas vertat & ringatur. Cumq; hoc non neſciat, non poteſt is elabi felicius,

Tolle ſpatia locorū corporibus nuſquam erunt.

felicius, quam vt hunc authorem prætereat. Et quidem nemo vnquam præter Brentium hucusq; ab annis 1200 in ecclesia fuit, qui sententiam hanc Augustini aliter intellexerit quá vsurpemus nos, aut ipsam oppugnarit tanquá falsam philosophicam & corpori Christi glorioso parum congruam. Spero itaq; prudentiores dogma vetus Augustini libentius amplexuros, quàm nouum illud aduersarij.

De Visionibus Stephani & Pauli, et Christum in Cœlo retinere uerum corpus & corporis formam, clarificationem enim nõ tollere corporis ueritatem. CA. IIII.

De Visione Stephani. Væ in Respon. mea disserui de visione beati Martyris, Stephani, non attigit in libro hoc suo aduersarius, tantum, Oeconomia erat, inquit, qua Christus sese captui Stephani accomodabat, &c. Verum hoc malagma tãtum valet apud cordatum auditorem, quantum reliqua istius quæ subinde confingit ad commendandam simplicibus suam vbiquitatem, & ad obscurandas non illustrandas scripturas sacras. Oeconomiam vel dispensatione illle vocat cum Christus aliquid agit aut apparet, non pro sua maiestate, sed pro nostro captu ad nostram vtilitatem, aut cum aliquid de ordinario iure relaxatur, aut cum Christus aliquid fecit quod potuisset omittere. Vt cum

Oeconomia.

Christus

Chriſtus reſurrexiſſet ex mortuis & quærere tur à mulierculis in ſepulchro, dixit angelus, Surrexit. Non eſt hic. Vere dictũ, nõ aũt iuxta maieſtatẽ, ſed iuxta Oeconomiá. Ita & Thomæ oſtẽdit ac exhibuit cicatrices in manib. latere & pedibus. Iuxta hanc diſpẽſationem ait dominum & Stephano apparuiſſe. Non enim ſentiendum eſſe, quod Chriſtus ea forma qua viſibiliter aſcendit vſq; ad nubes, verſetur in Cœlo empyreo, aut quod ea forma qua Stephano apparuit, ſemper in regno cœleſti verſetur. Scio quidẽ veteres diſpenſationis vel Oeconomias vſos vocabulo, etiá in reſurrectionis Chriſti negotio: verũ illi ipſi cauerunt diligentiſsime, necubi veritatẽ reſuſcitati corporis Chriſti reſurrectionisq; noſtrę verę verterent in dubiũ. Vnde ingenue profeſsi ſunt corpus Chriſti eſſe in loco. Quod vel apud Cyrillum vel etiam Theodoretum in Dialog. 2. Inconf. videre eſt. Proinde œconomiá vel diſpenſationẽ, intellectu ſano, & vt vſurparunt veteres, nõ ad extenuandá verá in gloria Chriſti humanitatẽ, non reprehendo neq; reijcio. Quátũ aũt attinet ad Brẽtiũ nõ video ipſum cũ veterib. hac in re facere: neq; poſsũ approbare, qđ ait Chriſtũ in cœlo nõ eá ſemp retinere formá quá tũc habuit, quádo viſibiliter in cœlũ aſcẽdit, & quádo ſe Steph. viſendũ cœlitus

οἰκονομικῶς id eſt ratione humanæ naturæ aſſumptæ.

Christus in cœlo retinet substantiam formamq; corporis humanam.

exhibuit. Quid enim posthac aliud cogitabimus de corpore & forma corporis Christi in Cœlo, quam quod de assumptis corporibus, & formis corporum sentimus angelorũ? Corpora enim hi assumunt, & hominibus pro eorum vtilitate, certis apparent formis, quas tamen semper non retinent in cœlo, sed ad propriam redeuntes lucem vnà cum corporibus ponunt. Ergo ne credemus & dominum nostrum, cum forma simul ipsum corpus suum, in quo à suis visus est, deponere? Ita verò nõ admodum bonum se dispensatorem præstitisset ecclesię Brentius, qui male dispẽsando, pręstantissimum ecclesiæ thesaurum perdidisset. Verum enim corpus Christi ad dexterã Dei patris sedens, ille est omnium fidelium pretiosissimus thesaurus, & certissimũ pignus quod & nostra vera illa corpora, à resurrectione, in eadem substantia, sint illuc ad ipsum quoque euehenda. Cæterũ vera fides & diuina veritas cui innititur fides, confitentur hoc ipsum corpus Christi quod resurrexit ex mortuis et ascendit in Cœlum, retinuisse substantiam humanæ naturę, retinereq; eandem adhuc ad dexteram Dei patris in cœlo. Licet enim corpus domini à resurrectione sit clarificatum, clarificatio tamen illa non sustulit humanæ naturę substantiam atq; formam. Repurgat quidem

Clarificatio non auferi ueritatem corporis.

corpus

corpus à corruptione,redditq; ipsum expeditum celerrimum atq; clarum vel fulgidum:repurgat deniq; illud à mortalitate & omnibus infirmitatibus defectibusq; humanis:interim verò illi non aufert substantiam,non membra vel artus atq; figuram. Tollit sanè deformitatem & quicquid fœdũ,quicquid ex corruptionis reliquijs est,non tollit autem formam,non tollit item locum vel terminos vel circumscriptionem. Hæc enim omnia in corpore Christi inhabitante Cœlũ,sed & in omnibus sanctorũ corporibus manẽt nec expunguntur vnquã: quemadmodũ omnes orthodoxi vno ore concorditer cõfitentur atq; testantur. Alioqui enim resuscitatum corpus ex mortuis verum corpus nõ esset,vana deniq; essent quæ de resurrectione carnis sancti credunt. Sed quo minus sit dubitationis commemorabo breuibus duo clara beatorum patrum testimonia. S. Augu. Retra.li.1.ca.13. & 26. Quod dixi, inquit, angelica corpora,qualia nos speramus habituros,lucidissima atq; ætherea esse credẽdũ est. Si hoc sine mẽbris quæ nunc habemus & sine substantia,quãuis incorruptibilis,tamẽ carnis accipiatur,erratur. Copiosiora idẽ ille author tradit de his li.de ciuit.Dei 22.paria cõtra Adimãtũ ca.12.His cõiungere potest quilibet præclaram S.Gregorij disputationẽ hac de re con- Augustinus Gregorius

çontra Eutychiũ,præſente Imperatore,habi-
tá, ex 29.ca.Moral.14.Porrò Theod.lib.Dial.
2.Incon.Illud,inquit,corpus habet priorẽ qui
dem formá & figurá & circumſcriptionem,&
vt ſemel dicam corporis ſubſtantiá.Ad Phil.3.
apertè corpus dicitur & gloriæ quidẽ corpus
(Transfigurabit corpus noſtrũ humile vt cõ-
forme reddat corpori ſuo glorioſo) Ergo ſi
corpora ſanctorũ ſeruát ſuæ naturæ characte
rem,corpus quoq; domini ſimiliter ſuá habet
ſubſtantiá immutabilę.Hæc ille, qui plura hu
ius generis habet alia, quę non cõſignaui huc
omnia. Proinde non ſinemus nobis Brentia
na diſpenſatione oculos obliniri, nec deſine-
mus hortari omnes ſibi caueant,neq; permit-
tant huiuſmodi artibus ſibi oculos faſcinari.
Corpus enim domini noſtri Ieſu Chriſti exci
tatũ à mortuis,qđ à mulierculis in ſepulchro
quærebatur,pro ratione & natura veri corpo
ris,nõ erat tunc in ſepulchro.Hoc atteſtantur
nobis veriſsima angelorũ teſtimonia,dicẽtiũ,
Ieſum q̃ritis Nazarenũ crucifixũ. Surrexit.
Non eſt hic.Ecce locus vbi poſuerãt eũ.Si ve
rò corpus Chriſti, qđ in ſepulchro quærebát
mulierculæ,in ſepulchro nõ fuit, profecto v-
biq; nõ fuit.Alioqui enim & in ſepulchro fuiſ-
ſet.Vnde iá cõſeq̃tur, corpus clarificatũ nõ eſ-
ſe ejus cõditionis,vt poſsit eſſe vbiq; vel vt ſuá
natu-

Corpus Chriſti quæſitum à mulieribus non erat in ſepulchro.

naturá vel substantiá, quæ sine mẽbris & forma nõ est, deponat. Vbi ergo manet doctrina Brẽtij de vbiquitate corporis Christi? aut qđ modo dixit, Christũ in cœlis nõ eam retinere formã, quá habuit cũ ascendit in cœlos, indeq; videndá suis exhibuit? Hanc ille sua illa dispẽsatione libenter omnibus approbaret. Equidẽ cũ simpliciores audiunt œconomiá vel dispensationẽ diuiná, concipiũt nescio quid magnũ, & velut ad cœleste stupent mysterium, quod vt non intelligũt ita vt reconditum ineptè admirantur. Cum reuera dispensatio illa, vti ipsa vtitur aduersarius, nihil sit aliud quam verborum caligo, auditorũ oculis offusa in quo oberrantes, liquide porrò non videant obseruentq; simplicem veritatem proprietatemq; ex mortuis resuscitati corporis Christi. Orthodoxe verò de hoc pronuncians beatus Augustinus dixit, Nec eos audiamus, qui negãt tale corpus domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis, Palpate & videte, quoniá spiritus carnẽ & ossa non habet, sicut videtis me habere. Sacrilegũ est enim credere, dominũ nostrũ cũ ipse sit veritas, in aliquo fuisse mẽtitũ. Hęc ille.

Præstigiõ dispensatiõnis.

Verum necubi deflectamus à proposito, certissimum illud quoq; est, quod dominus

Verum domini corpus à S. Thoma cõtractatum.

noster Iesus Christus verum suum corpus & quidem illud ipsum corpus, quod in cruce pependerat & vulneratum fuerat, illis ipsis suis membris suaq́; figura vel forma Thomæ & videndum & contrectandum palpandumúe exhibuit, & exhibuit quidem vt verum corpus, & non veluti spiritum, qui neq; carnem neq; ossa habet, neq; palpari potest. Non aliud corpus neq; in vlla alia corporis forma ascẽdit in cœlum dominus noster, quàm illa ipsa, quàm Thomæ exhibuerat. Non aliud corpus neq; in vlla alia corporis forma in Cœlo ad dexteram Dei apparuit dominus noster Stephano, quàm illa ipsa qua ex conspectu discipulorũ suorum sublatus est è cacumine montis oliueti. Atq; ita etiam credidit & docuit de corpore Christi agente in cœlo B. Augustinus, qui epistola ad Consentium 146, Ego, inquit, domini corpus ita in cœlo esse credo, vt erat quando ascendit in cœlum, &c.

Non eodẽ semper habitu dominus apparuit.

Et quamuis dominus à resurrect. sua, suis non eadẽ semper figura vel habitu eodẽ apparuerit, vt Magdalenę specie hortulani, proficiscentib. Emauntẽ cultu peregrini, ita vt primo contuitu ac colloquio ipsum non agnoscerẽt, nihil tamẽ mutatũ est in substãtia corporis eius, sed & ipsa mẽbra corporisq́; formã semp sibi integrã retinuit, nunquam deposuit. Ve-

stis

ſtis nòn raro hominem veluti transformat, vt non facile is eſſe agnoſcatur qui eſt, attamen forma ipſa corporis interim nec mutatur nec expungitur. Proinde non eſt de corpore Chriſti ſentiendum, velut de Protheo quodam, de quo canebat olim Flaccus ille,

Quo teneam vultus mutãtem Prothea nodo? His accedit quod cum à ſuis non eſt agnitus, quibus tamen erat cognitiſsimus, culpam hæſiſſe in ſpectatoribus, non autem in Chriſti corpore: id quod Lucas apertiſsime dicit capite 24.

Gradus in his quæ ad perſonam Chriſti pertinent.

Poſt hanc ſynceram dilucidamque huius rei declarationem, videt lector prudens, nihil porrò opus eſſe reſponſione vberiore, qua aduerſarij excutiam Gradus in hac cauſa ab ipſo inuentos. Gradus enim conſtituit in perſona Chriſti, vel in his quæ perſonæ Chriſti accidunt, & priorem quidem diuinæ maieſtatis, poſteriorem verò inanitionis, in quo in diebus carnis ſuę conſtiterit, & poſtremum diſpenſationis quem attribuit reſuſcitato & in cœlum aſſumpto domino. Nemo enim ita luſcioſus eſt, qui non intelligat, quo ille cõmentis his ſuis omnibus, ad quæ ſcripturas aſtute reflectit atque contorquet, auide tendat, huc nimirum, vt veram Chriſti humanitatem in cœlis, & in ſtatu illo gloriæ, leptologia illa ſua

extenuet, vt remotis aut obſcuratis ſaltē omnib. veri corporis proprietatibus, corpus Chriſti Suenckfeldicè quaſi deificatū reddat, vt nihil minus ſit, q̃ corpus verum, imò tale potius eſſe videatur, quod nihil differat à ſpiritu, & ꝑ omnia diuinitati par, omnia impleat & vbiq; pręſens ſit. At talē doctriná nunq̃ recipiet aut approbabit fideliū quiſquam: vtpote quæ ſemper ab orthodoxa vetuſtate, authoritate ſcripturarum palàm eſt reiecta atq; reprobata.

Tempus Chriſti humilitatis & exaltationis.

Veteres eccleſiæ doctores ſimplicius & rectius diſtinxerunt vniuerſum illud diſpenſationis Chriſti tempus, in hoc quod mox ab incarnatione anteceſsit tempus reſurrectionis glorificationiſq́;, &in illud quod protinus illam eſt conſequutum. Prius nuncuparunt tempus humilitationis & infirmitatis: poſterius verò tempus exaltationis & gloriæ. Etenim erat in humiliatione corpus domini infirmum (abſque peccato tamen) miſerum, paſſibile, mortale circumſcriptum. In exaltatione verò cum non depoſuerit corporis humani veritatem ſed retinuerit, retinuit ſimul & circumſcriptionem: depoſuit autem omnem infirmitatē, miſeriam, corruptibilitatem, paſsibitatem, mortalitatem, aliaque huius generis, & exaltatus eſt in gloria patris. Sufficit hæc diſtinctio ac declaratio pio cuilibet, qui videt

præ-

præstantiorem esse hanc, ideoque Brentiana illa ipsum facilè neq; sine fructu carere posse.

Visio domini Paulo exhibita.

Commemorata illa sua dispensatione obscurat ille & visionem Domini apostolo Paulo exhibitam. Iterum enim repetit Christum non versari physico modo vel corporaliter in regno suo cœlesti, ea forma qua apparuit Paulo, apparitionem illam Domini asserens fuisse suam illam œconomiam. Et his tamen mox non tam prudenter quàm disertè adiungit & ait, Paulus probat hoc argumento veritatem resurrectionis Christi, Postremo, inquiens, visus est & mihi. Dicat enim nobis Brentius quomodo apostolus visione hac Domini probauerit veram resurrectionem Christi? Si enim Christus Paulo non apparuit vero suo corpore, vera sua carne, in vera corporis substantia atque figura, sicuti & alijs sese spectandum & contrectandũ exhibuit apostolis: quomodo obsecro dixit, Visus est apostolis omnibus. Postremò autem veluti abortiuo visus est & mihi? Si autem illo ipso corpore vero corporisque veri forma, Paulo è cœlis, apparuit, quo dum in terris adhuc versaretur cum discipulis, sese conspiciendum palpandumque apostolis exhibuit, consequens est profecto Christum in cœlo, vnde se Paulo videndum exhibuit, versari corporaliter,

eandemque adhuc corporis substantiam formamq; retinere quam habuit in terris. Præterea cum Paulus per resurrectionem corporis Christi probet nostra quoq; corpora resurrectura, constet autem illa in vera corporis substātia atq; forma esse resurrectura, luce clarius apparet corpus Christi quod è cœlo apparuit Paulo, in vera illa sua corporis substantia atq; forma apparuisse, & ideo ipsum corporaliter in cœlo versari, substantiamq; & formam corporis ipsum inuiolata in cœlis retinere. Exhibuit ergo nobis ipsemet aduersarius laqueum quo insolubili ipsum constringeremus nexu. Vident hic præterea pij omnes verbosam illā dissertationem Brentij de vbiquitate corporis Christi & de dispensatione illa sua, non modo ecclesiæ noxiam esse sed & fidei veritatiq; resurrectionis contrariam.

Sancti Hieronymi doctrina de resurrectione corporum & natura corporum clarificatorum.

Vt tamen ista dilucidius rectiusq; intelligantur & validius adhuc roborentur, contraham hic in compendium B. Hieronymi dispu tationem, quam habuit aduersus Ioan. Hierosol. episcopū, vt ex ea cognoscat non tantum Brentiū, sed simpliciores, rudioresque etiam, quid in hac causa verum sit vel falsum errone úmue, à quibus item sibi caueant, quidúe tutò sequantur. Huius quædam protuli & in priore mea Responsione, reliqua nunc subijciam.

Fuit

Fuit autem Ioan. ille Hierosſ. episc. errori Ori geniano de mortuorum resurrectione implicitus: qui quidem ab ipso Hierony. talis fuisse perhibetur, Aliud nobis spirituale & æthereũ promittitur corpus, quod nec tactui subiacet, nec oculis cernitur, nec pondere prægrauatur, & pro locorum in quibus futurum est varietate mutabitur. Nec dissimulat naturam ætherei corporis & spiritualis dominus. Clausis enim ingreditur ostijs, & in fractione panis ex oculis euanescit. Hactenus errorem de excitatis ex mortuis corporibus recensui.

Error de corporibus clarificatis.

De erroribus Orig. ad Pãmach. & Oceanũ.

Sequitur iam erroris huius per B. Hieron. confutatio & vera doctrina veraq; fides de veritate resuscitatorum corporum assumendorumq; in cœlum. Nullus, inquit Hieron. tam aperte post Christum quam Iob ante Christũ de resurrectione loquitur. Nouit & vidit quod viuit Christus redemptor eius, & in nouissimo die de terra resurrecturus sit. Et cum dixit, Rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deũ, vbi hic corpus æthereũ? vbi aereũ? & spiritui & auræ simile? Nonne videtur tibi iam tũc Iob contra hunc errorẽ scribere? Videbo aũt Deum, in ista carne, inquit, quæ me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore distillat: vnde inculcat & exaggerat & ait, Quẽ visurus sum ego ipse, & oculi mei conspectu-

Vera doctrina de corporibus clarificatis.

ri sunt,& non alius. Is si non in sexu suo resurrecturus est, si non ijsdem membris, quę iacuere in stercore: si non eosdem oculos aperiat, ad videndum Deum, quibus nunc videbat vermiculos, vbi erit ergo Iob? Tollis ea in quibus substitit Iob, & donas mihi inane vocabulum resurgentis. Quomodo si nauim post naufragium restitutam velis, ac neges singula de quibus nauis construitur. Resurrectionis veritas catholice, sine carne & ossibus, sine sanguine & membris intelligi non potest. Vbi caro & ossa & sanguis & membra sunt, ibi necesse est vt sexus diuersitas sit. Vbi sexus diuersitas est, ibi Ioannes Ioannes, Maria Maria.

Vide Epistolam Paulæ matris ad Eustoch per Hieronymum.

Sunt plura adhuc scripturæ de mortuorum resurrectione testimonia, imprimis quod Dominus noster Iesus Christus resurrexit ex mortuis, & quadraginta dies à resurrectione cum discipulis suis conuersatus cum eis edit & bibit, ac ab eis cum suis ipsius membris visus est. Quod autem comedit in carne & in membris visus est, aut verum est quod videbatur aut falsum. Si verũ est, ergo vere comedit & membra habuit. Si autẽ falsum, quomodo res falsas ostẽdere voluit, vt resurrectionis veritatem probaret? Nemo enim falso verum probat. Neq; illa comedit sine dentibus, neq; ambulauit sine pedibus, neque fregit panem

sine

ſine manibus, nec loquutus eſt ſine lingua, nec latus monſtrauit ſine coſtis.

Et quomodo, inquies, non cognoſcebant eum in itinere, ſi ipſum habebat corpus quod ante habuit? Audi ſcripturam dicentem, Oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent. Et rurſum, Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum. Nunquid alius fuit quando non agnoſcebatur & alius, quãdo agnitus eſt? Certè vnus atq; idẽ erat. Cognoſcere ergo & non cognoſcere oculorum fuit, nõ eius qui videbatur, licet & ipſius fuerit. Vnde & Maria Magdalene quandiu non agnoſcebat Ieſum & viuum quærebat inter mortuos, hortulanum putabat. Agnoſcit & dominum vocat, &c.

Chriſtus non agnitus à ſuis.

Porrò quod clauſis ingreſſus eſt oſtijs, eius dem virtutis fuit, cuius & ex oculis euaneſcere. Lynceus, vt fabulæ ferunt, videbat trans parietem, Dominus clauſis oſtijs, niſi phantaſma fuerit, intrare non poterit? Dic mihi acutiſsime diſputator, quid eſt maius, tantam terræ magnitudinem appendere ſuper nihilum, & ſuper aquarum incerta librare, an Deũ tranſire per clauſam portam, & creaturam cedere creatori? Quod maius eſt tribuis, quod minus eſt calumniaris.

Chriſtus ingreſſus ianuis clauſis

Vide Epitaphium Paulæ matris.

Angelus Chriſto amouet lapidem, Petro portam aperit.

Sed oro te, Credis vere Dominũ reſurexiſſe in eodẽ quo mortuus quo ſepultus eſt cor-

pore, annon credis? Si credis, cur iſta propo-
nis per quę reſurrectio denegatur? Si non cre
dis, quid ita imperitorum lactas animas, & re-
ſurrectionem caſſo nomine ventilas? Hæc o-
mnia huc deſcripſi hactenus ex B. Hierony.

Concluſio huius loci.


Et nunc quidē hāc quoq; diſputationis no
ſtrę partē de dextera Dei patris & de ſeſsione
Chriſti domini ad dexterā Dei patris, ad imita
tionem S. Hieron. concludo & dico, Si credit
Brentius corpus domini noſtri Ieſu Chriſti in
cœlo ad dexteram patris ſedēs, verum eſſe cor
pus, quod ſubſtantiā formamq; veri corporis
humani retinet, cur itaq; talia, ſua illa diſputa-
tione, profert, per quæ veritas corporis nega-
tur, aut ſaltē apud rudiores vocatur in dubiū?
Si vero reuera non credit, & vanum aut inane
duntaxat reſurrectionis corporiſue nomē ob
tēdit, ſonat & crepitat, cernūt liquido omnes,
quo miſer inſulſa illa ſua diſputatione perue-
nerit. Credat itaq; poſthac doctrinæ eius, cui
non ſatisfit doctrina ſolida ſana atq; ſimplici.
Dominum oro, vt nos dum hic in terra viui-
mus, benigne in via veritatis & iuſtitiæ con-
ſeruet atq; dirigat, & vbi hinc ſoluerimus, ani
mas noſtras & corpora noſtra ad ſemetipſum
in dexteram ſuam, ad æterna ſubuehat
gaudia. Per Dominū noſtrū Ie-
ſum Chriſtum, Amen.

SECVNDÆ

SECVNDAE HVIVS PARTIS CAPVT TERTIVM.

De personali unione duarum *in Christo naturarum, inseparabilium quidem earum, sed distinctarum tamen, & quòd Corpus Christi non sit vbique.*

Exponitur sententia euangelica Verbum caro factũ est, per Decretũ Concilij *Chalcedonensis, & ostenditur quomodo duæ in Christo naturæ in unã inseparabilem coeant personam.* CAP. I.



RAESTAT & in hac causa ante omnia cognoscere in quo vertatur inter nos & aduersarium controuersia. Exposui hoc antea quoque in Resp. meæ fol.56. ac paucis id iam repeto, Credimus nos & docemus propter personalem vnionem duarum in Christo naturarum, alteram, humanitatem inquam Christi, non vbique esse, sicuti altera, diuinitas videlicet, vbique est: sed humanam naturam in ve- In quo sit controuersia.

ritate inque ſua proprietate inuiolatam cum diuina natura coniunctam perſiſtere ſiue permanere. Brentius contra docet & vrget propter perſonalem vnionem, humanitatem Chriſti perinde vbique eſſe atque diuinitas eius vbique eſt. Finitum enim factum eſſe infinitum. Et nunc quidem de nouo conſcripſit ille librum, De maieſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti ad Dexterá Dei patris, in quo tametſi nihil dicat, quo ad ſubſtantiam, quod in prioribus ſuis libris, hac de cauſa editis, non dixerit, nunc tamen plura congerit diuinæ teſtimonia ſcripturæ, quæ ad inſtitutum ſuũ detorquet, omniaq; hæc garrulo quodam profuſoque & impexo dicendi genere proſequitur, quæ inſuper non candido, quod dici ſolet, ſed atro ſale cõdit. Ea res me, qui aſſertam ex animo ſynceram cupio veritatem, commouit, vt hanc illi mei huius operis partem opponere inſtituerim, quam ſcribo, DE VERITATE HVMANITATIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SEDENTIS AD DEXTERAM DEI PATRIS.

Explicatio uerborum, Verbũ caro factum.

Collocat autem ille vniuerſæ ſuæ ſtructuræ hoc veluti ſacroſanctum fundamentum, VERBVM CARO FACTVM EST. Atque vtinam omiſsis omnibus alijs figmentis ſutelisque, ſyncerè perſeueraret in ſententia hac,

tia hac, denique & in illa ipſa explicatione eius, quam ipſe met adfert. Ita enim ſyncera coijſſet inter nos concordia. Nam dicit verba Euangeliſtæ & Apoſtoli Ioannis, non intelligenda quaſi Deitas commutata ſit in humanitatem, aut humanitas conuerſa ſit in diuinitatem, aut quòd diuinitas & humanitas in Chriſto, ita ſint confuſa atque commixta, ut aqua vino permiſceri ſolet. Etenim ex diuinitate & humanitate non vnam eſſe factam naturam, ſed manere duas diuerſiſsimas naturas. Addit ſingulas naturas, non ſingulas & diſcretas facere perſonas, ſed Deum & hominem coire in vnam indiuiſam perſonam. Quę quidem omnia dicuntur orthodoxe, quibus & nos acquieſcimus, ſingula iſta confitentes abſque hypocriſi & contradictione. Amplius verò ille progreditur, ac perquirit quis nam ſit genuinus horum verborum, Verbum caro factum eſt, ſenſus. Plurimum enim referre, vt hoc ſciatur exacte, cùm in hoc verſetur noſtra controuerſia. Addit his ille, in hoc nobis nō conuenire, qualis ſit hæc vnio, & quàm latè pateat, denique an perſonalis ſit, vel, vt Paulus loquitur, corporalis & perfecta, an tantùm vulgaris? qualiter Deus vnitus eſt quibuſuis ſanctis hominibus? Ac recipit tandē ꝑ horū legitima interpretatione,

De quibus ſit quæſtio.

1 2 3 4

Canonem vel Decretum Chalcedonẽſis Concilij, quod eſt huiuſmodi,

Decretum Chalcedonẽſis Cõcilij, quo exponitur quid ſit, Verbum caro factũ eſt.

Confitemur Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum ante ſecula quidẽ de patre genitũ ſecundum Deitatem, in nouiſsimis autem diebus, eundem propter ſalutem noſtram ex Maria virgine θεοτόκῳ ſecundum humanitatem, vnum & eundem Chriſtum Dominũ filium vnigenitum, in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiuiſe, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublata eſſentia (alij legunt differentia) naturarum propter vnionem, magisque ſalua proprietate vtriuſq; naturæ, & in vnam perſonam atq; exiſtentiá concurrente, non in duas perſonas partitũ atq; diuiſum, neque diſiunctum, ſed vnum eundemq; filium vnigenitum. Hactenus verba Canonis recenſui, quæ nos quoq; vt legitimá myſterij huius ſacroſancti explicationẽ libenter & plene recipimus.

Quomodo in his ſe gerat Brentius.

Cæterum oportet in præſentiarum diligentiſsimè obſeruare aduerſarium propemodum diſsimulare ac præterire quod non poſtremũ huius canonis eſt, nempe propter vnionẽ perſonalem proprietates naturarum non tollendas, notare autem ſuo ſenſui accommodatum quod in canone de indiuiſa ponitur perſona. Et quidẽ tam callidè hoc negotium proponit vt oculos cuilibet propè oblinierit, niſi quiſq;

dili-

diligenter dicentem obseruarit. Omnia enim disputationis suæ ad vnionem (ex qua reuera confusionem facit) personalẽ refert. Ac explicat ibi, quod minimè reprehendimus, quid sit persona, quid hypostasis, quidúe vnio hypostatica. Deinde verò subiungit, Tam firma est hæc vnio, vt eam iam inde ab incarnatione nullũ nec tempus nec locus nec mors nec vita nec vlla creatura alia disiũgere & diuellere possit. Quæso igitur te, amicissime mi lector, reputa mihi cum animo tuo, an non is qui pio est & sano intellectu, ac ex animo confitetur diuinam & humanã naturam in Christo esse inseparabiliter in vna persona coniunctas necesse habeat etiã sentire & cõfiteri, quod vbicunq; est diuinitas Christi, ibi etiã sit humanitas eius? Si enim hæ sunt semper inseparabiliter in Christo coniuncta & vnita, quomodo alicubi potest esse diuinitas Christi absq; humanitate eius? &c.

Vnio Brentij cõfusio.

Ad hæc aduersarij sic respondemus, ipsum de suo nobis cõsequutionem obtrudere, quæ minimè deducitur neque ex verbis apostoli, Verbũ caro factum est, neq; ex Canone Chalcedonensis Concilij. Fides enim Christiana & doctrina euangelica docent vtráq; in Christo naturam sic esse connexam vel unitam in vna persona, vt propter hanc ipsam personalẽ in-

Vbi impingat Brentius.

ſeparabilemque vnionem, naturæ illæ cum ſuis proprietatibus neq; commiſceantur neque aboleantur. Dedit hoc nobis ipſe antea Brentius, dum explicaret verbũ apoſtoli, Verbum caro factum eſt. Docuit hoc ipſum manifeſtiſsimè Canon Chalcedonenſis Cõcilij. Et pinde cùm diſtinctæ illæ naturæ cum ſuis pprietatibus in ſua illa vna perſona maneát: & diuinæ naturæ proprietas ſit infinitam, nulloq; locò concluſam, ſed vbique eſſe: humanæ verò naturæ proprietas ſit finitam & non vbiq; eſſe, conſequitur ex his manifeſtiſsimè, propter vnionẽ illam naturarum iſtarũ perſonalem, non vbiq; eſſe humanitatẽ ſicut diuinitas vbiq; eſt. Alioqui enim humanitas cum diuinitate nõ eſſet coniuncta in vnam perſoná, ſed permixta, aut certè diſpuncta & prorſus in Deum conuerſa. Hoc autem cùm ſit impoſſibile, manet ſemper immota Chriſtianæ doctrinæ ſynceritas, quod ſcilicet Deus hominẽ aſſumpſit, & in vna perſona ſic ſibi vniuit, vt neque Deus tranſierit in hominem, neque homo tranſmutatus ſit in Deum, ſed quòd vtraque natura ſalua & incolumis, in vna permaneat perſona.

Qualis ſit unio?

Habet ergo in hac breui expoſitione Brentius qualem ſentiamus hác eſſe vnionem, qua verbum caro factum eſt, talem omnino qualẽ

modo

modo explicauimus ac confirmatá claret Canone Concilij Chalcedonensis. Quòd si ille nobis obijcit modum & rationem vnionis huius esse ineffabilem, Respondemus, principio quidem ipsum met aduersariũ sibi Canonem Concilij delegisse pro legitima huius causæ explicatione. Subdat itaque se legi quam ipse tulit, & tergiuersari desinat. Deinde agnoscimus veteres non abs re, modum vnionis alicubi nuncupasse inexplicabilem. Quis enim digne explicauerit stupendam illam Dei bonitatem qua ille sibi carnem nostram adunare & perpetua sibi societate coniungere dignatus est? Fatemur ergo mysterium hoc ineffabile esse: interim verò eadem Dei bonitate mysterium hoc ipsum, vtcunque explicari nobis, quantum scilicet satis est ad formandam fidem nostram, & quantum seruit saluti nostræ. Cuius generis arbitramur esse Concilij illius Chalcedonensis expositionem, planè euangelicam & apostolicam. Vnio illa inexplicabilis.

Disertè itaq; profitemur vnionẽ illam personalem nõ patere tam latè, quàm cuperet patere aduersarius, vt videlicet ipsum Domini nostri Iesu Christi corpus propter vnionem tã latè pateat, quàm patet eius diuinitas. Memorabilia enim obseruandaq; Concilij Chalcedonensis verba sic habent, Agnoscendus est Quàm latè pateat hæc unio. 2

vnus & idem Chriſtus Dominus, filius vnige nitus, in duabus naturis, inconfuſe, immutabi liter, indiuiſe, inſeparabiliter, NVSQVAM SVBLATA ESSENTIA NATVRARVM, PROPTER VNIONEM, MAGISQVE SALVA PROPRIETATE VTRIVSQVE NATVRAE. Quàmuis ergo Deus & homo vna ſunt vniti in perſona, retinet tamen quælibet natura ſuum ingenium, ita vt vnus & idẽ ille Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſecundum diuinitatem ſit vbique, ſecundum humanitatem autem non ſit vbique.

An perſonalis uel corporalis unio?

3 Quòd ſi Brentius huiuſmodi vnionẽ nuncupare vult perſonalem vel corporalem vel perfectam, hoc ſanè per me illi licebit. Nolo vel cum ipſo, vel cum quoquam alio rixari de vocabulo, modo quis naturas nec permiſceat nec aboleat, ſed in perſona illa vna vtráque in ſua eſſentia proprietateque retineat.

Non eſt unio uulgaris.

4 Illam ipſam vnionẽ non arbitror communem aut vulgarẽ eſſe, qualis ea eſt, qua Deus omnibus ſuis coniungitur fidelibus. Libenter cum S. Cyrillo excellentiſsimam hanc vnionem Dei & hominis vocabo naturalẽ veráq; & quę nullibi vllis in rebus coæqualẽ inueniat. Licet interim parabolas illas, non reijciam, quibus veteres illá illuſtrare ſunt ſoliti. Cùm autem

auté ea ſit naturalis veraque vnio,ſponte iam iterum conſequitur naturas ipſas manere in ſua veritate,id eſt, eſſentia vel proprietate. Alioqui enim vnio naturalis veraque amplius nuncupari non poſſet.

Homo qui conſtat anima & corpore naturis inter ſe diuerſiſsimis, in vna tamẽ ſubſiſtit perſona,in qua duæ illæ vniuntur naturę. Verum ob hanc vnionem corpus non redditur immortale, quòd videlicet cõiunctum ſit inſeparabiliter cum anima immortali. Rurſus tametſi naturę hæ inter ſe maneant diſtinctę, & altera non fiat altera, ideò tamen nemo dicit eundem hominem duabus conſtare perſonis; aut vnionis vinculum rumpi naturarum diſcrimine. Semper enim manet vna duntaxat hominis perſona,quę eſt anima & corpus. Ad hunc ipſum modum habet negotium vnius Chriſti perſonæ, coniungentis maximè diuerſas naturas & quidem in proprietatibus ſuis manentes. Non enim ideò ſunt duæ Chriſti perſonæ,quia extant duæ naturæ,quarum vna vbique eſt, altera vbique non eſt. Neque quia humanitas aſſumpta eſt à diuinitate, ab hac ſibi per vnionem contrahit vbiquitatem. Expoſui,qua potui luce & breuitate,quomodo duæ diſcretæ naturæ coeant in vnam & inſeparabilem perſonam.

Res iſta illuſtratur collatione.

De Cõcilio Chalcedonensi quáue occasione Decretum istud in ipso sit promulgatũ, et de Nestorianis et Eutychianis. CAP.II.

QVando verò Brentius Concilij illius Chalcedonensis meminit, canonemq́; vel definitionem eius de personali vnione recepit, postulat ipsa res, vt breuibus cõmemorem qua occasione illud coierit Concilium, quibusúe de causis decretum hoc sit promulgatum.

Grandia ecclesiæ Christi certamina.

Tempore istius Concilij & annis etiam aliquot hoc Concilium præcedentibus exorta sunt grauia in ecclesia Christi certamina, è quibus diuersissima inter se dogmata Nestorianorum & Eutychianorum pios vehementer exercuerunt afflixeruntque. Satan enim ab ipso salutis nostræ exordio improbitate solita sedulò conatus est incarnationis Dominicæ mysterium, in quo salus nostra est, intricare, lacerare, denique euertere aut saltem obscurare, vt amisso demum Christo saluatore vnico, salute pariter certa exciderent miseri mortales. Ideoque acerrima de hoc incarnationis Dominicæ mysterio certamina in ecclesia Deifuêre.

De Nestorio & Nestorianis.

Et Nestorius quidem episcopus Constantinopolitanus, à quo denominati sunt Nestoriani, vir fuit facundus quidẽ, sed in veterum

monumentis non probè versatus, nec syncerè incarnationis intellexit mysterium. Dum enim videret scripturam diuersitatem naturarum in Christo cum suis asserere proprietatibus, diuersas quoque separatasq; existimauit in Christo esse personas. Proinde prædicabat diuam virginem Mariam non appellandàm Dei matrem, neq; dicendum esse Deum pro nobis esse passum, sed Mariam nuncupandàm Christi matrem, ac confitendū Christum hominem pro nobis esse passum, Deum enim nec nasci posse nec mori, quòd sit æternus, immutabilis ac immortalis. Non videbat miser ille tametsi diuinitas vt immutabilis, in humanitatem non conuertatur, sed naturarum quælibet in sua permaneat essentia & proprietate, ideò tamen distinctas illas naturas non habere separatas personas à seipsis seiunctas, sed coire & persistere potius vnitas vel coniunctas in vna persona. Ideoque cùm Dei filius in vtero intemeratæ virginis Mariæ humanam dignatus est assumere naturam eamque vnire sibi in vnam & eandem personam, atque ita nasci ex virgine, consequens est omnino, quòd non homo duntaxat, aut nudus, quod dicit solet, homo, hoc est, qui nihil aliud fuerit quàm homo, sed verus Deus & homo ex illa natus sit.

Vnde iam verè Mariam nűcupari θεοτόκον Dei genitricem vel Domini matrem, ficuti & Elisabetha illá ex ſpiritu ſancto appellauit. Cűq; ille qui mortuus eſt in cruce, fuerit indiuiſa perſona Deus & homo verus, nemo dixerit nudum hominẽ eſſe mortuum, ſed eum qui erat verè Deus & homo. Prout etiam Paulus diſertè dixit Dominum gloriæ eſſe crucifixű. 1. Corinth. 2.

Luc. 1.

Concilium Epheſinum primű contra Neſtorium.

Contra hunc Neſtoriű coijt Epheſi Concilium, quod inter œcumenica tertium numeratur, & nuncupatur Epheſinű primum. Numerabatur tunc annus à Chriſto nato 435. vnde 20. annis antecesſiſſe apparet Chalcedonenſe. Præſens erat in corona 200. epiſcoporum Imperator Theodoſius Arcadij F. Et quàmuis oriretur in hoc Concilio non leue disſidium inter epiſcopos, mox compoſitum tamẽ hoc legitur ſatis feliciter, & concorditer anathemate percuſſum Neſtorij dogma, atq; ex ſententia ſcripturæ pronunciatum vnanimiter, Chriſtum Dominum duas habere diſtinctas naturas, ſed non ideò duas diuerſas perſonas, ſed illas coire & perſtare in vna inſeparabili perſona, eſſeque verum Deum & hominẽ vnum Dominű noſtrű Ieſum Chriſtű.

De Euryche & Eutychianis.

Sicuti verò Neſtorius propter diuerſitatẽ naturarum in vnionis vel in vnius inſeparabilis per-

lis personæ mysterio cæcutiuit, ita ex aduerso Eutyches ꝓpter vnionis vel vnius illius personæ mysterium, aberrauit in naturis distinguendis vtrisq;. Ille ergo errauit in diuidenda persona, hic verò in cõmiscendis naturis. Fuit hic Eutyches archimandrita Constantinopolitanus, à quo denominantur Eutychiani. Hi cùm ad personæ vnitatem duntaxat respicerent, neq; naturarum diuersitatem proprietatemq; obseruarent, eò tandem recidisse leguntur, vt dicere fuerint ausi, humanitatem Christi mox ab vnione illa in diuinitatem transiuisse, maximè à glorificatione. Cùm autẽ his obijcerent orthodoxi, Christum quidem esse personam inseparatam, sed in hac interim persona indiuisa saluas manere naturarum proprietates, ita vt iuxta diuinam naturam neque natus sit neque passus, sed secundum humanam: opponebant isti hanc esse hæreticam & damnatam Nestorij doctrinam, qua discindatur indiuisa illa persona, fingaturque alius quidem Christus natus & passus, alius neque natus neque passus. Porrò cùm hi rogarentur, An ne agnoscerent humanã in persona Christi naturã permanere incolumẽ, an crederent eam absorberi ac aboleri? Negabãt disertè aboleri ipsam, sed hoc se potius sentire asseuerabant, in ipsa vnione, simul ac in vtero matris

aſſumpta eſt à Dei filio, ipſam eſſe deificatam. Euincebant autem orthodoxi ſcripturarum teſtimonijs, humanam naturam adeò non expunctam deificatamúe in vnione illa, quam illi docebant, vt ſalua potius inque ſua proprietate incolumis, diuinæ coniuncta, permanſerit, vel ab ipſa etiam corporis Chriſti clarificatione. At hic demum feruidè inſtabant Eutychiani, vt qui non agnoſcebant corpus Domini aſſumptum in cœlum, verum eſſe corpus, & quidem illud ipſum corpus, quod fuerat ante aſcenſionem in eadem ſubſtantia, forma atque circumſcriptione, ſimile vtique noſtris illis ex mortuis aliquando excitandis corporibus. Contra quam opinionem patres orthodoxi validè pugnantes, ſcripturarum teſtimonijs demonſtrabant corpus Chriſti aſſumptum in cœlos, & modo ad Dexteram Dei ſedens, & dici in ſcriptura eſſeq;, & permanere verum corpus. Quòd ſi quis vetuſtatis ipſa vult ſibi recitari verba, hæc ſunt, Illud corpus habet quidem priorem formam & figuram & circumſcriptionem, & vt ſemel dicam corporis ſubſtantiam, &c.

Vnde hæc de Eutychianis petita.

Hæc omnia quæ commemoraui de Eutyche & Eutychianis, non ex memetipſo confinxi, ſed in breue recolligens compendium,

mutuo

mutuo accepi ex historia Ecclesiastica, & ex ipsis veterum monumentis, contra Eutychianos conscriptis, vt ex Epistolis Leonis Romani præsulis sancti. Fit huius Leonis mentio honorifica in Decreto ipso Chalcedonensis Concilij. Transcripsi illa denique ex tertio Dialogo Sancti patris Theodoreti, qui & ipse præsens fuit in Concilio Chalcedonensi, & doctè, orthodoxe, valideque scripsit & disputauit contra Eutychianos. Copiosiora ex his petant quibus non sufficit hęc mea breuitas.

Contra hunc Eutychen & sectatores eius, alioqui nec paucos nec impotentes, conuocauit Synodum pius ille Imperator Martianus. Numeratur illa inter œcumenicas vel generales & authoritate pollentes, quarta: ac Chalcedoni celebrata est, sub annum Domini 455. Interfuit huic Concilio ex 636. patribus collecto, ipse princeps Martianus vrgebatque ministros ecclesiarum feruidè, disertè ex scriptura sancta decernerēt, quid de hac controuersia Eutychiana sentiendum, quidúe sit secundum verbum Dei credendum. Ea occasione pronunciarunt beati patres, nobisq; decretum vel canonem reliquerunt, quem verbotim superius recitauimus. Prohibuerunt isti propter vnionem naturarum dispungere

Chalcedonense Concilium contra Eutychianos.

proprietatem atque ſubſtantiam vel differentiam: aut commiſcere inter ſe naturas Chriſti. Hoc enim ſolebant (vt dictum eſt) Eutychiani, propter quos reuincendos explodendosq; conuocatum fuerat Cōcilium. In hoc & illud memorabile eſt, quod in Decreto illo ſub finē ſalubriter adijciunt, Hanc fidem antiquitus prophetæ, & ipſe de ſe ipſo nos docuit Chriſtus, & ſymbolum patrum nobis tradidit. His igitur cū cura & diligentia omni à nobis conſtitutis, ſancta & vniuerſalis Synodus decreuit, vt nemini liceat aliter ſentire, aut fidem aliam proferre vel conſcribere vel componere, vel alios docere. Quicunque autem auſi fuerint fidem aliam componere aut proferre aut docere, anathemate ſubiecti ſint.

Quò pertineant illa quæ hactenus in hoc cap. dicta ſunt.

Hortor autem in præſenti omnes lectores Chriſtianos, vt ea quæ commemoraui hactenus de Eutyche, de doctrina vel opinione eius, de Concilio Chalcedonenſi, & definitione vel Canone eius, quiſque accuratè apud ſe expendat, iudicetque an nos congruentius doceamus agamusque ſecundum Chalcedonenſis Concilij Canonem, an verò Brentius propius accedens ad Eutychianorum opinionem diſcrepantia à canone vel decreto Cōcilij œcumenici diſputet. Nos certè docemus ſimpliciter propter vnionem perſonalem non confunden-

fundendas esse naturarum proprietates, & iccirco corpus Domini non esse vbique. Quod corporis humani proprietas sit finitum & in loco esse. Brentius contra dicit & vrget cum humanitas assumpta sit à diuinitate in vnam personam indiuisam, oportere omnino humanitatem vel corpus Christi perinde vbique esse vt eius diuinitas vbique est: ne videlicet personę discindatur vnitas. At vident hic viri prudentes quomodo hic excipere tractareq́; possem aduersarium, quem tamen nolo exagitare odiosius, satis mihi est quod in his paribusque intelligitur quo loco sint res aduersarij, & quę sit syncera veritas. Vtinam omnes in finem vsque vitæ ambulemus in via Domini.

Personam Christi indiuisam nostra doctrina non discindi, neq; unum Christũ Dominum in duos diuidi Christos, & quod sentiamus Christũ uerũ esse Deũ, nõ tantum sanctum aliquem hominem.

CAPVT III.

DVbium mihi non est quin breui hac mea dissertatione de naturis in Christo diuersis, in vna indiuisa persona manẽtib. satisfactum sit hominibus cordatis atque fidelibus, nihilominus tamen, vt rudiores facilius extricent se ex tricis Brentianis & non impingant in eius sophismata, annotationes porrò

breues, ad potiora eius argumenta adijciá, quibus ampliora cogitádi ſuppeditē occaſionem.

Non diuidimus unam perſonam in duas.

Nihil ille per vniuerſum illum librum ſuú vrget repetitque feruentius quàm Zuinglianos doctrina ſua indiuiſam Chriſti perſonam diſcindere in duas, vt vna quidem verus Deus & homo ſit vno in loco, altera verò Deus verus vbique ſit. Nos autem non ita ſentire vel docere atteſtatur principio reſponſio ante illi data, in qua folio 66. & 67. quinque profero argumenta, quibus demonſtro doctrina noſtra qua retinemus naturarum Chriſti proprietates, perſonam Chriſti nequaquam diuidi. Deinde reſpondent & illa pro nobis, quæ hucuſque per duo capita præcedentia attulimus. Poſtremo dicimus obiectionem hanc aduerſarium habere communem cum Eutychianis, quibus reſpondet beatus Theodoretus mox ab initio Dial. ſui 3. Impat.

Odium Brentij in Zuinglium pertinax & ineluibile.

Ac demiror ſanè quam vehementer Brentiú laborare inuidia atq; odio vſqueadeo graui, pertinaci, atroci atq; inexpiabili in Zuingl. beatæ memoriæ, dudum, adeoq; ante annos 30. in domino mortuú (quem cur ille per vniuerſum librú ſuum ſubinde Cinglium nuncupat, per incogitantiam an per malitiam, neſcio) ac dubito planè num acerbius ſęuiuſque in ipſum potuiſſet inuehere, quam hoc ſuo libro

bro fecit quam auidiſsime. Sub finẽ libri; Nõ dubito,inquit,quin quod eſt Zuinglianorũ in geniũ, ſatis habeát conuitiorũ &calumniarũ, quibus hæc noſtra pia ſcripta ꝓſcindãt,& ſuã impietatẽ defendere ſtudeant:ſed quod ad me attinet, etiamſi ſcriptis ſuis inhumaniter me tractauerint, tamẽ illud officiũ eorũ erit mihi gratiſsimũ,quod his ſcriptis ſuis publicum de me teſtimonium ferant,me à dogmate eorum peius cane & angue abhorrere, ac planè non eſſe Zuinglianum. Tantum ille. Sciat autem ille (quem alioqui omnes in præſenti vident affectibus ſuperatum ſuis ſuccubuiſſe prorſus) ne nos quidem Zuinglianos & multò minus Lutheranos eſſe. Chriſtiani, ſi neſcit, ſumus,probe memores, quam acriter Corinthios increparit apoſtolus, dum alius diceret ſe Petrinum,alius autem Appolloniſtam, tertius Paulinianum eſſe. Interim D. Luthero beatæ memoriæ non ſumus ingrati,multò minus proſequimur eum vllo odio. Si quid bene vel dixit vel fecit, nunquam hoc contempſimus, neque hodie aſpernantes reijcimus. Sicubi verò à vero aut à modeſtia deflexit, ita ab eo vt ab alijs hominibus aberrantibus, deflectimus, nunquam inſignis apoſtolicæ obliti ſententiæ,In multis labimur omnes. D. Lutherus.

Neq; ingrati eſſe poſſumus aut debemus & De D. Zuinglio.

D.Zuinglio,per quem primũ Dominus euan gelij sui salutarem prædicationem in hisce nostris regionibus (vnde mox ad alias quoque quæ se planè illi plus quàm Brentio debere fatentur,dimanauit)annunciari voluit. Exhibuit ille se in suo ministerio fidelem, laboriosum, constantem & patientem:expertus pericula grauia afflictionesque varias. Benedixit autem eius laboribus Dominus. Nec tamen viro tanto plus quàm decet tribuimus, agnoscentes & ipsum fuisse hominem, Christo innitimur, Christi verbo absque contradictione credimus, sicuti ille quoque nos, dum viueret, docuit. Odij istius Vatiniani erga Zuinglium nullam causam nouimus aut suspicari possumus, quàm quod per initia belli infelicis sacramentarij forte non magnifice satis & de Brentio & de scriptis eius hic sensit & alicubi scripsit. Vtcunque verò ea res habeat, inuideat licet Zuinglio Brentius, conuicieturque quantum & quoad libet, nunquam tamen ille efficiet, vt multa illa hominum millia per Germaniam, Galliam, Angliam, Italiam,Poloniam,Lithuaniam,Hungariam,&c. perque regna alia, qui per gratiam Dei ex prædicatione & scriptis eius veram Christi cognitionẽ hauserunt, nõ sint honore debito & digna gratitudine virũ tãtũ prosequuturi.

Quo-

Quoniam verò Zuinglium Brentius fœda ſuſpicione grauat, quaſi doctrina ſua vnam illam & indiuiſam Chriſti perſonã ſacrilege diſciderit, cõmonſtrabo verbis ipſius Zuinglij, quam inique hoc illi impingat, faciáq; hoc propter eos ſaltem ad quos Zuinglij ſcripta non perueniunt. Etenim duplici nos aduerſarij noſtri iniuria hic afficiunt. Principio enim deferunt nos apud imperitos rerumque noſtrarum ignaros quaſi doceamus abſurda, impia atque blaſphema. Deinde libros quoque noſtros, ex quibus noſtra poterat cognoſci innocentia, necubi venales extent aut legantur diligentiſsime curant. De qua quidem iniuria diu multumque queſti ſumus hactenus & querimur adhuc. Zuinglius verò reſponſione ſua ad magnam Lutheri confeſsionem ſic ſcriptum reliquit, Credo & confiteor æternum & omnipotentem Dei filium, veram, integram, omni infirmitatis genere (ſola illa peccatrice natura excepta) laborantem & mortalem quoq; hominis naturam, quæ ex cœlitus creata anima, & naturali corpore, ex Maria ſemper virgine formato & progenito, ex ſpiritus ſancti conceptione, conſtitit, eo modo in ſe & ad ſe recepiſſe in vnitatem perſonæ filij Dei, vt vnus Chriſtus, vna & indiuidua perſona ſint: ſic tamen vt vtraq; vnius & eiuſdẽ per

Prohibetur ne libri noſtri habeantur uel diſtrahantur.

Zuinglij doctrina de una indiuiſa Chriſti perſona.

ſonæ natura ſuá proprietatem &conditionem retinuerit: ſolo hoc excepto quod ipſius humanitas propriam exiſtentiam per ſe non habet, ſed illam in ſola perſona filij Dei obtinet: quo modo ſcilicet in nobis quoque omnibus caro ſuum ingenium & operationem retinet, interim tamen per ſe non ſubſiſtit, ſed ex anima omnem ſuam exiſtentiam habet. Similiter illud etiam credo & confiteor, quod duæ iſtæ, quæ in Chriſto Ieſu ſunt naturæ, nonnunquam ſcindi vel ab inuicem ſeparari aut dirimi poſsint, ſic vt non vna perſona ſit & eadem. Et paulo poſt iterum, Illud quoque fatemur, quod etiamſi humanitas non vbique locorum ſit inſtar diuinitatis, perſona tamen nequaquam dirimatur, imò ſic minus dirimi poteſt, quàm ſi illa quoque vbique eſſet. Si enim humanitas quoque vbique eſſet, iam in diuinitatem tranſiuiſſet, nec amplius Chriſtus eſſet. Chriſtus enim æternus Deus & homo eſt, ea nimirum perſona de qua nos loquimur. Quod ſi ergo natura illa aſſumpta, in aſſumẽtem conuerſa eſſet, iam perſona quoque tota eſſet ſublata. In perſona enim iſta, Chriſto nimirum, duas naturas eſſe oportet, alteram nimirum quæ conſeruat & ſuſtinet, alteram verò quæ ſuſtinetur. Si ergo Chriſti humanitas vbique eſſet, non alia huius poſſet

eſſe cauſa quam quod in diuinitatẽ eſſet conuerſa. Atqui ſic non amplius illa qua cõſeruatur natura eſſet. Et proinde perſona filij dei diuina dũtaxat eſſet natura nõ humana, & Chriſtus verus homo in æternum nõ eſſet. Poſtremo illud etiam fatemur, quod propter perſonalem illam & inſeparabilẽ vnitatem naturæ nonnunquam ſic cõmutentur inuicẽ, vt altera pro altera ſumatur: interim tamẽ vnicuiq; ſua manet integra proprietas, & perſona duntaxat eſt vnica. Hactenus verba Zuinglij recenſui, ac ſpero dilucida & catholica hac veritate depuliſſe à nobis grauem illam accuſationem, qua aduerſarius nos prægrauat, quaſi indiuiſam Chriſti perſonam diſcindamus, & ex vna duas faciamus.

Deinde opinatur Brentius, niſi fateamur ibi quoque propter vnionem Chriſti perſonalem corpus eſſe Chriſti, vbi & diuinitas eius eſt, vbique, ſed pergamus affirmare corpus Chriſti eſſe in cœlo, per ſpiritum autem eſſe apud eccleſiam in terris, nihil nos ſublimius aut excellentius de Chriſto ſentire, quam de quouis homine ſancto. Nam pari ratione & apoſtolũ Paulũ nuncupari poſſe Deũ, vtpote qui ſpiritu ſuo apud eccleſias fuerit præſens, à quibus corpore abſens erat. Quod ſi Zuingliani dixerint, ait, Chriſtum mirabili modo

Non ſentire nos de Chriſto ut de alio quouis homine ſancto

conceptum esse & genitum, atque ita anteire sanctos, affirmamus nos & Paulũ & Dauidẽ, vt ex 1.ca.ad Gal. & ex Psal. 139. liquet, non sine miraculo in vtero matris esse formatos. Cuius quidẽ generis inani garrulitate, tumentia non pauca hic profundit. Ad quę nos breuissime respondemus, illa quæ in nos torquet, planè ex re non consequi, quod incolumes in vna Christi persona retinemus naturas. Nisi hæc eadem & contra ecclesiam Christi sanctã contorquere velit, quę eadem semper de Christo credidit & docuit. Præterea quis non videat ingens esse discrimen inter hoc quod Christus suo spiritu suæ præsens est ecclesiæ, & quod Paulus ait se Corinthijs adesse præsentem spiritu suo. Christi enim spiritus, eius est diuinitas, quæ sanè vbique est. Ac perpetuo fatemur & clamamus agnoscere nos Christum non modò hominem verum, sed & Deũ esse verum. At spiritus vel mens Pauli alia ratione erat cum Corinthijs, quàm Christi spiritus. Nec Pauli spiritus Deus est, aut vbique. Iam nihil inter se similitudinis habent, quod non sine miraculo, hominum corpora formantur in vtero materno, & quod Dei filius in vtero intemeratæ virginis, humanam naturam assumpsit æternumque sibi vniuit. Proinde miror hic Brentium virum

alio-

alioqui magnæ apud multos exiſtimationis, non proferre magis expenſa atque ſolida. Video interim quo ille ſpectet. Adiungeret nos libenter Neſtorio, qui dicitur de Christo nihil ſublimius, quàm de alio quouis ſancto homine ſenſiſſe. De quo nonnihil attigi in priore mea reſponſione folio 58.

De ſimilitudinibus Solis & Animæ humanæ, quibus hoc Vnionis perſonalis negotium illuſtratur: & quod duæ illæ in Chriſto naturæ non ſint diuidendæ.

CAPVT IIII.

Similitudo Solis adhibita illuſtrando huius perſonalis vnionis negotio, oppugnatur & ipſa ab aduerſario. Nam dicit, Non ignoro Zuinglianos in explicatione perſonalis vnionis duarum naturarum in Chriſto mirifice ſibi in exẽplo Solis & radiorũ blandiri, &c. Sed opponit mox, Solem non eſſe perſonam. Neque poſſe quicquam vel fingi magis impium, quam diuinitatem oriri ex humanitate, perinde vt radij prodeunt aut promicant ex corpore Solis. Facit autem hic quoque quod nullibi non ſolet per vniuerſum illum librum ſuum, artibus videlicet noſtra impetit, & cum non datur progredi vltra, ſaltem fuligine atra, terſa noſtra fœdare contendit. At nec piget nec pudet nos iſtius ſimilitudinis, quam ſci- Similitudo Solis.

mus nos habere communé cum omnium antiquiſsimis ſanctiſsimisq; ſcriptorib. cum quibus illa vtimur non in aliũ finé, nihil impediti aduerſarij verſutijs offucijsúe, quib. illam in ſuſpicioné rapere inuiſamq; reddere cupit. Non eſt aũt quod ille vereatur, ne diuinitaté Chriſti ex humanitate eius, ceu ex ſuo fonte, deriuemus, vt ex hac illa oriatur, ſicut radius ex corpore Solis prodit. Nemo adeò rudis eſt opinor, qui neſciat quid boni authores ſenſerint de parabolarum ratione. Similia ſunt, non eadem ſunt. Neque poſſunt ſublimia illa cœleſtiaq; exprimere aut aſſequi ad plenum, terrenæ noſtræ ſimilitudines. Explent autem ſuum officium, ſi aliquo modo rem explicent cui illuſtrandæ adiunguntur. Et nos quidem hoc conſilio Solis adducimus ſimilitudinem, vt appareat liquidò radium à Sole non ſeparari, neque Solem diſcindi à radio, vtcunque apud nos in terris ſit radius, corpus autem Solis nobiſcum in terris non ſit. Ad hæc beatus Martyr Chriſti Iuſtinus, Caue, inquit, putes Solem aliud lumen, quã id quod primũ factũ eſt. Vnum eſt enim illud primigenium. Sol autem corpus ei paratus eſt, in quo collectum lumé hoc diffundat ſe inde per omnia, &c. in expoſ. fid. de recta confeſſ. trinit. Quéadmodum ergo lux, quæ ante Solé erat, cum corpore Solis

lis cõiuncta, vnum quodpiam vel vnus indiuisus Sol factus est, neq; ideò in duos Soles diuiditur, quia lux per omnia diffunditur, corpus aũt Solis non per omnia penetrat aut vbique vel hic in terris nobiscum est. Ita æterna illa Dei lux, æternus ille Dei filius, assumpsit in vtero virginis corpus humanum, quod deinde collocauit ad dexterá patris, in ipsum cœlum: vbi sanè iam agit corporaliter, in terris autem corporaliter non agit, diuina interim natura eius permanente illuminante & conseruante omnia, atque ita etiam permanente eius persona indiuisa.

Verum audiat nunc iterum Brentius Zuingliũ, quàm elegantissime & appositissimè hác Solis similitudiné aut parabolá in Responsad Luth. confess. mag. tractantem atq; dicentem, En Solem & omnem eius operationem considera. Huic enim corpus est circumscriptum determinatum certisque conclusum finibus, quod vno & eodem temporis momento simul duobus in locis non est, vno autem temporis articulo vniuersum terrarũ orbem suo splendore illustrat, adeò vt non aliquem aeris locum, vel supra Solem, vel infra, vel circa hunc inuenire liceat, qué illius radij & horũ fulgor penetrare non possit. Indus eundé illũ Solem, qué & Hispanus conspicit, intuetur.

Zuinglius tractat eleganter similitudinem de Sole.

Sarmatæ in eodem illo Solis splendore versantur, in quo & Æthiopes viuunt: interim tamen corpus Solis in nullo horum locorũ est. Sed & nullus ex locis istis, vel etiam hominibus apud ipsum Solis corpus esse potest. Simili modo ac ratione Christus Iesus Sol iustitiæ verus Deus & Homo, diuinæ suæ virtutis & essentiæ radijs & splendore vbique est; corpus verò humanæ quæ in ipso est naturæ, vno duntaxat loco continetur: interim tamẽ idem illud per vniuersum orbem terrarum animæ & fidei oculis agnoscitur & videtur. Et quamuis iuxta corporalem præsentiam vno duntaxat in loco sit, altera tamen virtutis ipsius præsentia nobis sufficere potest. Neque enim vllis votis ipsum in terras deducere optamus. Quemadmodum nec Solem quoq; quisquam mortaliũ suo loco mouere cupit. Nam & huius corpus vni quamuis loco impositum omnibus tamen nobis sufficit. In cœlis Christus corpore suo residere debet & lucẽ gratiæ suæ ex cœlis nobis affundere, tamen illis quoque qui in cœlis supra vel circa illum sunt, omnibus inquam illis, lucem gaudium delectationem & voluptatem verã suppeditare debet. Hactenus Zuinglij verba recensui.

Similitudo de anima hominis unita cũ corpore.

Ita sanè nihil me mouet turbat aut impedit, quod aduersarius & beati Athanasij parabolam

bolam ab humani corporis cum anima cõiunctione petitam, detorquere ſatagit ad ſuam illam phãtaſiam. Certiora enim clarioraq́; ſunt ſancti illius hominis verba, quam poſsint in dubium verti aut obſcurari Brentiana illa moleſta garrulitate. Verba eius huiuſmodi ſunt, Chriſtus perfectus eſt Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtẽs. Æqualis patri ſecundum diuinitatem, minor patre ſecundum humanitatem. Qui licet Deus ſit & Homo, non duo tamen ſed vnus eſt Chriſtus. Vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. His perſpicuis & firmiſsimis nihil adijciemus amplius.

De D. Petro Martyre Vermilio.

Martyrem beatæ memoriæ de multis accuſat aduerſarius, imprimis autem cauillatur illum ſibi in doctrina ſua parum conſtare referreq́; Prothea quendam, verborum fallentem ludibrijs. Et quidem vniuerſo ſuo illo libro Maieſtuoſo venerabilem ſenem parum honorifice tractat. Quod ſanè Martyri apud pios & prudentes homines plus laudis quàm vituperij conciliabit. Qui enim legerunt Martyris Dialogũ, quem aduerſarius per cõtumeliam

nũcupat Diabolum,ſciũt qua eruditione quo candore quaúe modeſtia ſit ſcriptus, & quam perſpicuis & firmis ſcripturæ beatorumq; patrum teſtimonijs ſuam confirmarit doctriná, quæ nondum confutauit neq; confutabit vnquam, aduerſ. Quo nomine Mart. dialogus nulla dũ defenſione indiget. Perſtat enim adhuc ſua in veritate atq; euidentia & luce incolumis atq; inuictus. Vixit Martyr vitam, quam viuere dedit dominus, ſanctá inculpatamque, ac reliquit apud homines pietatis honeſtatiſque amantes præclaram ſui nominis memoriam. Patriá illam ſuam celebrem & charam, opes atq; dignitates, propter Chriſtum & ſanctum eius euangeliũ, deſeruit, & cũ maxima ſplẽdidiſsimaq; ipſi offerrẽtur, forti animo cõtempſit, & ſpontaneũ ſibi exiliũ delegit. Inſeruiuit aũt Chriſto & ſanctæ eius eccleſiæ docẽdo, ſcribendo, diſputando & quibuſcunq; potuit modis. In laborib. fuit alacer, aſsiduus, infractus. Diſcrimina nõ leuia ſubire nõ timuit, variamq; fortunam ſumma cum patientia tu-
12. Nouembris Anno 1562. lit. Tandẽ trãquillo animo, lętus, Chriſtũ cõfitens laudans & inuocans, feliciter ad ipſum Chriſtũ quẽ dilexit, & cui inſeruiuit migrauit. Dũ verò viueret, in maximis certè quibuſque rebus, opera huius vſa eſt Germania, Gallia, Anglia: Quo nomine omnibus pijs per orbem

bem Christianum innotuit. Vnde & illud colliquescit, Brentium suo ipsius cum dedecore eum indignis tractauisse modis, quo Deus tã quam vase glorię, in sua ecclesia, maxima cum laude vsus est.

Perinde autem hic queritur & vociferatur Brentius, ac si summa cũ ipso iniuria bellum geratur, Si intelligit Martyr, inquit, humanitatem Christi non pertingere ad omnia loca corporali & locali modo, qui cũ pugnat? quid vociferatur? quid ista loquacitate opus? Cæterum si ingenue volebat nobiscum agere aduersarius, quorsum conuertitur ad subdolas artes, cur obscura sibi quærit latibula? De quibus quædam ei adumbraui in Respons. mea fol.86.89. Si quis autẽ inania loquacitatis verba vnquã profudit, Brentius sanè nunc profundit. Verum enim corpus, quale Christi est, non implet ea loca, quæ implere debet ad quę non extenditur vt ipsa occupet. Nam si ad ipsa non extendatur, minime profecto opplet. Constat autem verum domini corpus non nisi corporaliter occupare locum. Nam si corporaliter locum non occupat aut implet, naturã humanitatis veram nõ retinuit. Ergóne Christi humanitas transiuit & mutata est in diuinitatem? Sed Deus immutabilis est, manet & humana Christi natura in sua illa proprietate im

Corpus Christi diuinitati coextendere.

mutata, in vna illa inseparabili persona. Hinc iam colligat Brentius quisnam loquacis vanitatis verba prodigat.

Naturæ nō loco distinguuntur sed intellectu.

Pergit ille ac dicit, In vna Christi persona dissimiles proprietates inseparabiliter ita coniunctæ sunt, vt haudquaquam loco sed tãtum intellectu distinguantur. Authores huius producit Nazianzenũ, Nyssenum & quẽdam Epiphaniũ ex 2. Synodo Nicena. Et subiungit, Vos verò Zuingliani non intellectu tãtum, verumetiam loco adeoq; persona distinguitis. Collocatis enim Christum in Cœlo diuinitate & humanitate, in terris autem tantũ diuinitate. An hoc non est facere duas personas? Hæc verò omnia quondam obijciebant & Eutychiani. Et nos naturas non distinguimus persona vt dicamus perinde duas discretas esse personas sicuti duæ sunt distinctæ naturæ. De quo hactenus dictum est satis. Neq; naturas loco distinguimus sic vt loco ab inuicem seponamus. Dicimus enim in vna existẽtia, in vna inquam indiuisa persona subsistere duas naturas coniunctas. Denique quomodo posset loco distingui diuinitas quæ nullo concluditur loco sed est vbiq;? Et cum hæc etiam sit in Cœlo, vbi Christi corpus esse dicimus, certè ab ipsa non separatur, licet vna natura non tam latè pateat quam altera. Distinguimus

mus ergo & nos naturas intellectu vel mēte. Hæc enim ingenue agnoscit proprietates naturarum inuiolatas in personali vnione permanere, cumq́; proprietas diuinæ naturæ sit infinitum & vbiq; esse, proprietas autem humanæ naturæ sit finitum & non vbiq; esse, agnoscit profecto Christi corpus non vbique esse, vt interim vinculum vnionis non sit discissum. Ita antea quoq; clara adduximus patrum testimonia, quę disertè testātur vnicum Christum dominum secundum diuinam maiestatem in cœlo pariter & terra pręsentē esse, secundum humani verò corporis veritatem, in Cœlo esse & non in terra aut vbiq;.

Propter personalem unionem naturarum Christi, diuinitatem nō esse passam, eum autem qui Deus erat uerus, in eo passum esse, quod paßibile est, in carne. CAP. V.

Pergit ille & dicit, In pasſione & morte Christi, diuina natura, tam præsenter humanę affuit naturæ, vt ne tunc quidem personæ vnitas sit separata. Nec adfuit tātum sicut Stephano morienti, sed ita personaliter affuit, vt vere dicatur Deum ipsum esse passum & mortuum. Ad hæc Cyrillum adducit, qui recte doceat Deum natura sua nihil quidē pati, & tamen propter familiaritatem carnis cōmunicari pasſioni & perpessus sit infirmitates. Diuinitas Christi impassibilis.

Ego aũt nego Cyrillũ, nisi eius detorqueátur sententiæ, docere Deum passioni cõmunicare & infirmitates esse perpessum, nisi sécundum communicationem idiomatum. Nam ita recte dicitur Deum pro nobis passum esse & mortuum. Qui enim verus Deus erat Iesus Christus, pro nobis passus & mortuus est, sed in eo, quod pati potuit, in carne videlicet vel in vera humanitate, & non in diuinitate quæ
1.Pet.4. impassibilis & immortalis est. Atque ita docuit & sanctus Petrus, qui dixit, Christum carne passum esse. Et cum ita loqueretur, indiuisam Christi personam non dissoluit, sicut & nos eandem non dissoluimus. De qua re dictum est superius in rebus Nestorij. Fulgentius quoque sanctus episcopus libro ad Thrasimundum regem 3. Quidam, inquit, putant Deum carni compassum: minus attendentes diuinam illam atque immutabilem filij Dei substantiam; & in carne passibili passionem suscepisse, & cum carne passionem sentire non potuisse. Itẽ, Passus est Deus in homine: quia vna est Dei hominisque persona: non est compassus Deus homini, quia in vno Christo non est confusa Dei hominisq; substantia, &c.

Obiecerunt hoc ipsum argumentum Eutychiani beatis patribus quondam, existimantes vnum Christum non posse non diuidi in

duos

duos, nisi compaſsio & diuinitati attribuatur, & quidē vnū fore Chriſtum paſsibilem, alterū impaſsibilē. Sed reſponſum eſt huic argumento pluribus à beato Theodor. Dialo. 3. Impat.
Sed & beatus Athanaſius ad Theodoretum de aſſumpt. hom. contra Marcel. inducit hæreticum obijcientem atq; dicentem, In vna perſona quid poteſt diſcerni? Ac reſpondet mox & dicit, Ergo ſi non diſcernis certus eſto, quia & deitatem paſſam ſimul eſſe oſtendis. Et cur tu in vno homine cauſſam animæ diſcernis? Noſti dominicum dictum, quod non debeat timeri homo, qui habeat poteſtatem occidere corpus, animam autem non poſsit occidere. Si tu in hac cauſa animā diſcernis in vna perſona hominis, quæ ab homine non interimitur: quanto magis nos in vna perſona Dei & hominis cauſam immortalitatis, id eſt, deitatem ab hominis infirma natura diſcernimus? Denique Deum ad hęc audi loquentem, Soluite templum hoc, & in tribus diebus ſuſcitabo illud. Nunquid deitas diſſoluta eſt Marcellio hæretice, vt aſſeueras, ſiue ſapientia ſiue virtus Dei patris, & non homo? Vtique homo vere paſſus eſt, qui templum Dei factus eſt, qui ab ipſo reſuſcitatus eſt: ſicut diuina ſcriptura teſtatur, Et videbūt in quem cōpunxerūt. Vtiq; hominē videbūt quē crucifixerūt.

Athanaſius negat Chriſtum in diuinitate cō paſſum.

Numquid diuinitatem clauis fixerunt, aut lancea perforauerunt? Absit. Et reliqua. Cæterum de hac causa, quantum satis esse existimaui, sanam doctrinā, & veterum dilucida inuictaq́;, scripturis videlicet confirmata, testimonia, in Respon. mea priore, proposui fol. 70. & 71. quo lectorem plura desiderātem remitto. Hactenus verò disserui de personali vnione naturarū Christi, quæ sanè has ita vniuit vel coniunxit vt neq; cōmixtæ sint neq; abolitæ, sed maneant distinctę in suis proprietatib. interim tamen non diuidantur aut separentur ab inuicem, vt duæ fiant personæ sicut duæ sunt naturæ. Confitendum enim est vnū esse dominū nostrum Iesum Christum verū Deū & hominem. Cui sit laus & gloria in secula.

Humanam Christi naturam in diuinam maiestatem sic esse exaltatā, ut nihilominus suam retineat proprietatem. Et de communicatione idiomatum. CAP. VI.

Exaltatio humanitatis Christi in diuinitatem.

EX declaratione hac hucusq; facta de personali vnione duarū in Christo permanentium in suis proprietatib. naturarū, poterit lector prudens, nullo colligere negotio, quid porrò sentiat aut iudicet de ꝓplixa & perplexa illa Brentij disputatione quam nunc in libro suo subiūgit habetq; De exaltatione humanitatis Christi in diuinā maiestatem, nihilo

minus

minus tamen annotationibus quibusdá breuibus huc aſcriptis lucem præferam rudioribus, ne in nebulis vndisque Brentianis planè Delio natatore opus habentibus, aberrent atpræfocentur. Confitetur quidem verbis ille perpetuò orthodoxam & catholicam veritatem, in vna videlicet indiuiſa perſona Chriſti permanere duas naturas diſtinctas atq; im mutatas; cui tamen ſubinde de ſuo adijcit, qđ confeſſam veritatem rurſus negare, euertere, & vt minimum dicam, in dubium rapere atq; obfuſcare videtur. Apertè enim dicit, humani tatem Chriſti ſic exaltatam eſſe in maieſtatę Dei, vt iam non tantum omnipotens, ſed omnipręſens ſit. (eius vtor vocabulo) Hoc vt aſtruat, plurima ſcripturę ſanctæ teſtimonia cō denſat, quæ nō exiſtimaui neceſſario his meis verbotim eſſe inſerenda. Omnium illorum teſtimonium eſt hic ſenſus. Chriſtum ſuper omnia eſſe exaltatū ſiue euectū omniaq; ipſi eſſe ſubiecta, atque adeò nihil eſſe reliqui, ſicuti & Paulus dicat, quod ei non ſit ſubiectū, atq; ipſum etiá adimplere omnia. Ex quibus mox cōcludit & dicit, Cum aūt maior excellētiorq; cogitari non poſsit exaltatio, quá qua homo ipſe ſit Deus, & Chriſtus homo euectus ſit ſuper omnia, fieri non poſſe, vt hic vllo loco vel Cœlo corporali contineatur. Si verò ipſi, in-

quit, omnia ſunt ſubiecta, ſunt ipſi nimirum cœlum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ſubiecta. Inter hæc cum & tempus & locus adde & corpus ipſum numerentur, ſanè his nō ſub iacet Chriſtus vt ipſi dominentur. Ergo cum exaltatus ſit in omnem Dei maieſtatem, & maieſtas Dei comprehendat & omnipræſentiam, neceſſario conſequitur Chriſtum hominem vbiq; præſentem eſſe, & implere omnia ſuperna pariter atq; inferna, &c. Et hæc quidem eſt ſumma omnium quæ aduerſ. diſputat de exaltatione humanitatis Chriſti in ſupremam maieſtatem Dei, in qua ſibi vſque adeo placet & in qua tantopere gloriatur.

Deus homo factus & homo Deus.

Ad quæ nos breuiter ita reſpondemus, Deū factū eſſe hominē & hominē factū eſſe Deū, ſuperioribus perſpicuè & prolixe ſatis ſumus confeſsi. Quibus nunc quo dilucidiora ſint omnia, hęc adijcimus, Principio, nemo arbitrabitur filium Dei ſecundam in adorāda Trinitate perſonam, tum demum factum eſſe Deū, cum homo factus eſt. Erat enim manebatq; Deus æternus, patri per omnia in æternitate & eſſentia coæqualis ab æterno: ſicuti apertè ſcriptum legimus. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c. Dicebat & ipſe in euangelio dominus, Amen dico vobis, antequā Abraham eſſet,

ſet,ego ſum.Item,Ego & pater vnum ſumus. Deinde ſciendum eſt æternum hunc Dei filium verum aſſumpſiſſe hominem, in vtero intemeratæ virginis Mariæ,atque hoc modo factum eſſe hominem: ſicuti iterũ legimus ſcriptum,Verbum caro factum eſt.Item, Omnis ſpiritus qui confitetur Chriſtũ Ieſum in carnem veniſſe,ex Deo eſt:& qui hoc non confitetur,ex Deo non eſt. Vbi Deum fieri, & in carnem venire, vel carnem fieri, ſine omni immutatione commixtione abolitioneq; naturarum intelligendum eſt,ſicuti abunde huius partis cap.1. declaratum eſt. Quibus accedit, quod vetuſti doctores eccleſiæ concorditer omnes verba apoſtoli, Verbum caro factum eſt,per apoſtoli verba,Philipp.2.& Heb.2.exponentes dixerunt,Verbum caro factum eſt, id eſt,Deus hominem aſſumpſit. Porrò ſi Deus hominem aſſumpſit, certè id quod aſſumptum eſt,caro videlicet vel humanitas permanet,vtique inuiolata in ſuæ naturæ proprietate:ſicuti & diuina natura aſſumens non mutatur. Coeunt autem duæ illæ naturæ in vnam perſonam, quæ eſt vnus Chriſtus verus Deus & homo.

Quomodo uerbum caro factum.

Et propter hanc coniunctionem vel vnionem naturarum,retinuit ſemper vetus eccleſia concordem de communicatione idiomatũ

De communicatione idiomatum

doctrinā,dixitq; solere scripturā propter vnionem illam personalem alteri tribuere naturæ, quod alterius est: veluti cum in euangelio dicitur, Filius hominis qui in cœlo est. Manifestissimum enim esse omnibus, filium hominis non prius fuisse in cœlo, quam ascenderit eò per corporalem ascensionem in Cœlū: nihilo minus tamē, quando filius Dei in vnā personā assumpserit carnē, vt propriam, huic etiam cōmunicari quod filij Dei propriū est, nimirū etiam ante ascensionē esse in cœlo. Rursus legimus dominum gloriæ esse crucifixum. At vel hic notissimū est omnibus, diuinitatē passionis esse exortem: sicuti & antea declarauimus. Quando autem assumptum à domino corpus Dei propriū corpus est, domino etiam glorię, id est Deo glorioso cōmunicatur qđ alioqui ꝓpriū est humano corpori, esse patibile. Cæterū sicuti vnio duarū naturarū in vna persona, neutiquam effecit vt filius hominis in cœlo fuerit, tametsi fuisse dicatur, priusquā in Cœlum ascenderit, aut quod filius Dei in sua natura passus sit ac crucifixus: ita nec exaltatio effecit vt humana natura facta sit omnipræsens aut vbiquaria. Nam ne exaltatio quidem humanæ naturæ in maiestatem diuinam, personam vel diuisit, vel proprietates naturarum confudit aut aboleuit.

Exaltatio Christi non tollit proprietatem humanæ naturæ.

Con-

Constat autem omnipræsentiam diuinæ proprietatem esse naturæ, quæ non expungitur in vnione personæ. Non poterit ergo corpus Christi alia ratione videri vbique & omnipręsens esse, nisi per communicationem idiomatum, quę sanè naturam Christi humanam nō reddit infinitam aut vbique præsentem.

Christo Domino omnia sic esse subdita, & in humanitatem eius ita effusam esse maiestatem Dei, denique corpus eius sic transcendere omnia, ut hæc interim proprietates humanæ naturæ non sustulerint.

CAPVT VII.

FAtemur & nos Christo omnia esse subdita, sed eo sensu, quo loquitur scriptura, non eo, quo aduersarius hinc, quæ vult concludit. Neque obscurum est & Dauidem Psal. 110. Paulum apostolum 1. Corinth. 15. testari Christo ante iudicij diem nondum omnia esse subdita. Nihilominus tamen agnoscimus & confitemur etiam nunc Christum esse vniuersorum dominum, nullius dominio subiectū. Affirmat aduersarius cum super omnia adeoque super ipsum cœlum sit euectus dominus noster, fieri non posse vt cœlo ipso contineatur. Quam verò depressa esset illa exaltatio, quæ Christum cœlo excluderet, in quo tamē ipsum vniuersa nobis scriptura, vt in gloria,

Christus exaltatus super omnia.

ad dexteram patris, commonſtrat? Dixit quidem Solomon Deum cœlo capi non poſſe: at nihilominus S. Petrus quoque dixit, Oportet Chriſtum cœlum recipere vſque ad tempora reſtitutionis omnium. Id quod ad humanã Chriſti naturam omnino oportet referre. Vbi denuo eluceſcit tametſi diuina natura cœlo non capiatur, humanam tamen naturam inhabitare cœlum eoq; contineri. Vnde iam neceſſariò ſequitur Chriſtũ in gloria veritatem proprietatemq; corporis inuiolatam retinere & cœlo vt loco contineri. Quid ergo dedit nobis aliud quàm ſophiſticos elenchos aduerſarius, cum per multa folia, ex eo quod Chriſto dicitur ſubiecta eſſe omnia, ipſe colligit per exaltationem eius in gloriã, & corpus & cœlũ ipſi eſſe ſubiecta? Quaſi verò hæc per exaltationem in gloriã, auferantur. Mirifica ſanè & noua eſt hæc Brentij theologia, imò vera ſophiſtica, vt ne quid dicam aliud.

Nihil prædominatur Domino.

Non grauatim alioqui fatemur omnia ea Chriſto eſſe ſubiecta, quę veritatẽ corporis ęius aut proprietatẽ naturæ humanę aſſumptę non deſtruunt. Cum verò quęrit aduerſarius, An exiſtimemus quicquã eſſe in rerũ natura, quod domino prædominetur? Reſpondemus id nequaquã prædominari domino, quod ipſe ſua ſponte vt proprium ſuũ aſſumpſit, & in ſe

met-

metipso inuiolatum retinet, neq; vnquá deponit. Assumpsit autem cum suis proprietatibus humaná naturam, quam nunquá deponit, vel sua proprietate spoliat. Alioqui enim persona eius duabus naturis constans, dissolueretur & euerteretur. Adhæc nunquam admittet regula fidei, vt per loca scripturæ, per aduersarium adducta, intelligamus corpus Christi propter exaltationé nō perstare in sua veritate. Confitemur enim Christū cū ea carne ad iudiciū rediturum, cum qua ascendit in cœlum, quam illi quoq; videbunt, qui ipsam confinxerunt.

Quod ille subinde repetit & vrget humanitatem Christi adopertam esse diuinitate, vel omnem Dei maiestaté effusam esse in humanitatem Christi, sano quidem sensu libenter concedimus, nempe vt humanitas, in quam effusa est diuinitas, maneat in sua proprietate, & effusione hac non abluatur aut absorbeatur. Verum malo interim loquutionibus huiusmodi præteritis, vti scripturæ phrasi, ac dicere, Dei filium assumpsisse carnem, & demum factum esse hominem, & Christum esse Deum verum, &c.

Humanitas Christi adoperta diuinitate.

Quod ille rursus ait humanitatem Christi ornandą esse gloria & maiestate, libéter & hoc recipimus, qui ingenue fatemur, nullis vnquá verbis nos præcellentem eius gloriam assequi

Ornanda Christi humanitas.

& digne ſaltem poſſe eloqui. Cauendum tamẽ monemus, ne ita illam velimus ornatam, vt ipſam interim extenuatam amittamus. Amitti autem putamus cum ea illi tribuuntur, per quæ euertitur aut proprietatibus ſuis ſpoliatur. Immortalitas, ſplendor, claritas, pulchritudo ſumma & alia huius generis, verum Chriſti corpus ornant non deſtruunt: immenſitas autem & vbiquitas auferunt ſuá corpori proprietatem. Vnde per ipſa non ornatur, ſed potius deperditur.

Caro Chriſti tranſcendit omnia.

Confeſſus ſum præterea in priore mea reſponſione, Carnem Chriſti tranſcendere quidem omnia, ſed nihilominus tamen manere carnem veram retinereq́ue humani corporis proprietatem. Beatus Leo epiſcopus epiſtola ad Iulianum 6. Natiuitatis, ait, Domini ſecundum carnem, quamuis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia tranſcendat: ſiue quod ſolus ex ſpiritu ſancto ab inuiolata virgine, ſine cõcupiſcentia eſt conceptus & natus: ſiue quod ita viſcerib. matris eſt editus, vt & fœcunditas pareret, & virginitas permaneret, non alterius tamen naturæ erat eius, quàm noſtra, nec alia illi quàm cæteris hominibus anima eſt inſpirata principio, quæ excelleret non diuerſitate generis, ſed ſublimitate virtutis. Nihil enim carnis ſuę habebát ad

uerſum

uersum, &c. Eodem modo hic quoque dico, Quamuis corpus Christi exaltatum sit super sublimitatem vniuersam, collocatumque in ipsam Dei maiestatem, attamen permanet nihilominus verum corpus humanum in gloria, cuius proprietas est finitum & non infinitum aut vbique esse.

Humanam Christi naturam non plus accipere, quàm sit capax, ut in ueritate uel proprietate suæ naturæ permanere poßit.

CAPVT VIII.

CVm verò ad tuendam conseruandamque humanæ naturæ corporisue Christi veritatem proprietatemque ad dexteram patris sedentis, inter alia affirmamus hanc nō plus recipere quàm sit capax. Capacem verò non esse earum rerum, per quæ dispungitur vel aboletur: aduersarius hoc euersurus, Eius nimirum rei capax est, inquit, Christi natura humana, quod vult Deus. Vult autem humanam Christi naturam capacem esse infinitorum donorum atque adeò & omnipræsentiæ. Id quod mox astruere conatur verbis apostoli, Verbum caro factū est. Quibus mox infert, Si non abominaris Deum factum esse hominem, quid est quod abomineris finitum factum esse infinitum? Deus ergo vult, ideoque oportet omnino naturam Christi humanam

Christi humanitas nō est capax ō nisi earum rerum per quas non aboletur.

Fol. 75.

infinitatis omnipræſentięq́, capacem eſſe,&c.

Atqui ad hæc ita reſpondemus, aduerſarium non probe memorem eſſe eius quod nobis mox ab initio huius diſputationis dedit, nempe Apoſtoli verba, Verbum caro factum eſt, non ita eſſe intelligenda, quaſi caro tranſierit in verbum. Hoc autem ſi verum eſt vt certe veriſsimum eſſe conſtat, falſiſsimum omnino eſſe neceſſe eſt, quod ille modo dixit, finitum factum eſſe infinitũ. Quemadmodum enim nihil infinitum eſt, niſi ſolus Deus, ita ſi humanitas facta ſit infinita, deſijt vtique eſſe quod fuerat vera videlicet humanitas. Damus & nos Deum velle Chriſti humanitatem maximorum capacem eſſe donorum, at iccirco non damus factam eſſe infinitam, & naturam ſuam depoſuiſſe. Et quomodo obſecro humanitas, quæ non ſit, ſed in infinitum tranſiuit, vllorum donorum capax eſſe poſsit? Ideoque euidentius & rectius in hoc negotio ita videtur eſſe argumentandum, Deus omne id vult, quod ſe velle verbo ſuo expreſsit atque teſtificatus eſt. Teſtificatus eſt autem verbo ſuo, ſe velle vt aſſumpta à filio eius humana natura perpetuo inuiolataq́; retineatur. Hoc enim articuli fidei & complura teſtantur ſanctæ ſcripturæ teſtimonia. Præterea neceſſe eſt mediatorẽ illum vnicum

Finitum nõ eſt factum infinitum.

vnicum sequestrem inter Deum & hominē, duas quoque naturas diuinam & humaná habere. Iam si finitum, iuxta Brentij doctrinam, infinitum factum est, nō sunt amplius duæ in Christo naturæ, sed vnica duntaxat restat, nimirum diuina, quæ sola est manetq; infinita. Atqui ita docebat & Eutyches. Cæterum in Christo residente nunc in gloria patris, in excelsis, duæ distinctæ naturæ manent in vna persona. Proinde finitum in persona Christi non est factum infinitum. Hoc etenim ex diametro pugnaret cum verbo Dei, & proinde etiam cum voluntate Dei, verbo Dei expressa. Inuictum itaq; stat perstabitq; quod diximus, humaná Christi naturá, nō plus recipere quàm sit capax, & quod infiniti non sit capax, nisi expungere ipsam velimus vnáq; in Christo duntaxat retinere naturam, atque ita quoque sacrilege vnionis hypostaticæ vinculum soluere atque adeo & incarnationis mysterium impijssime abnegare.

Ex his hoc quoque nullo intelligitur negotio, per vim abuti aduersariū testimonijs apostoli, ad Ephesios 1. & 4. & ad Philipp. 2. ac Coloss. 2. cap. quibus impense admodū suū errorē ornare atque tueri contendit. Et qui in veterum scriptis probè versati sunt obseruaruntq; quomodo hi formam Dei, & formá serui pie

Detorta Pauli testimonia.

genuine & valide vſurparint contra Arianos & Valentinianos, deprehenderunt Brent. prolixa illa ſua expoſitione, in qua ſibi plus nimiū placet, parum autem aut nihil, quod operæprecium ſit, effecit. Et cum in priore mea Reſponſione hos quoque locos attigerim folio 64. & 76. breuitatis gratia nihil his adijciam.

Vnus & idem locus uarijs redditus ſententijs.

Nihil autem me mouet quod aduerſ. in tractatione verborum apoſtoli, Qui omnia in omnibus adimplet, aſsimilat nos Rabinis Iudæorum, qui ne Meſſiam verum agnoſcere, & illuſtria ſcripturæ teſtimonia recipere adeoque veritati herbam cogantur cedere, fictitijs gloſsis, horrendum in modum claras inuoluant tenebris ſcripturas. Ita enim & me verborum apoſtoli, tres offerre expoſitiones, atque ita nihil habere certi, ſubterfugereq; ſic velle ne dare cogar diuinitatem in omnibus, quæ adimplet ſupera pariter & infera, ſecum habere humanitatem. Cæterum nondum euicit expoſitionem meam, quam protuli in primo meo, De manſionibus cœleſtibus, libello, parum piam, aut verbis Apoſtoli eſſe repugnantem. Sciunt qui veterum legerunt in ſacras literas commentationes, ſacros illos interpretes, non raro plures ac varias vnius atque eiuſdem loci adferre expoſitiones. Quo nomine adeo non ſunt vnquam à quoquam pio reprehenſi

prehensi lectore, vt potius hoc laudi ipsis eorumq; diligentiæ vertatur. Solet & ipse Brentius in suis commentationibus perfrequenter vnius alicuius loci non vnum adducere sensum. Quid ergo in me vt reprehendendum persequitur, quod sibijpsi securus permittit, & non iniquum esse credit? Verum æquo lectori hæc omnia dijudicanda offero.

De eo quod Brentius affirmat Christum Dominum non glorificatum esse à resurrectione & ascensione in cœlum, sed in ipsa mox cõceptione in vtero matris. CAP. IX.

INserit huic libro suo suum rursus dogma nouum Christum Dominum non à resurrectione & ascensione demum (sicuti huc usque recte & pie in ecclesia & traditum est & creditum) sed antea quoque, atque adeo in ipsa mox conceptione in vtero matris esse exaltatum atque glorificatum. De quo cum quædam & quantum pijs sufficere existimabam, in priore Responsione folio 63. dixerim, non est quod ijsdem immorer prolixius. Athanasij hoc duntaxat adijciam testimonium, ex libro de assumptione homin. contra Marcell. Homini qui nuper natus est, inquit sine dubio ante passionem filij non fuerunt subiecta: cum adhuc ipse homo mortis esset pro

Christus glorificatus demum à resur. & ab assumptione in cœlum.

nobis debitor. Vnde post passionem vniuersa sunt ei subdita: sicut ipse homo de se significat, qui adhuc in cœlis nō fuerat, data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra, &c. Hæc ille. His tamen similibusque alijs præteritis pergit ille noster & hanc doctrinam sicuti & alias simplices veteresque interturbare & nouis figmentis raptare in altercationem.

Non veretur ille clara alioqui loca scripturę Ioan. 7. Philip. 2. capite attestantia Christum ante passionem assumptionemque in cœlum non fuisse glorificatum, obscurare, ideoque solito suo more regulam confingit, dicens, scripturam dicere tunc fieri rem aliquam cum incipit patefieri manifestius. Ad hanc mox confirmandam, detorquet verba Apostoli ad Roman. 1. cap. Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, &c. Sed hæc sunt inania solitæ garrulitatis eius verba. Quis enim nesciat ὁρισθέντος significare apud Apostolum demonstratus & certò pronunciatus & quasi irrefragabiliter conuictus, ideoque sensum esse, per potentiam, per resurrectionem & per spiritum sanctum manifestissime patere, quod Christus sit verus Dei filius. Dum ergo regulam suam nobis non approbauit, non grauatim ei, quod suum est, relinquimus. Condant licet alij, prout libet, leges & regu-

las,quibus ad institutum suum scripturas detorqueant,pij tamen vt eas non coguntur recipere, ita ipsas iure possunt reprehendere.

Præterea quod ille verba domini ex Ioan. 3. & 6. capite, Filius hominis qui in cœlo est, rursus producit,ijsque probare nititur, Christum etiam secundum naturam humanam fuisse in cœlis priusquam in cœlos ascendisset, adeoq; cum adhuc in terris materno clauderetur vtero : ac his protinus adiungit,nisi hoc ipsi demus, consequi necessario,duos nos fingere Christos , alterum quidem qui fuerit in vtero matris, in cœlo autem non fuerit, & alterum qui &in cœlo fuerit & in vtero matris: illa inquam nulla responsione confutanda videntur,quod ad ea antea quoq; responsum sit satis.Si autem aduersario nondum factum est satis,confligat licet cum B. Martyre & episco. Vigil.aut cum S.episc.Fulgentio:quorum ille lib.contra hæres.2.hic verò sub finem lib.2.ad Thrasimun.regem,docet Christi personá duabus constanté naturis diuersis,esse vnam & inseparabilé, simul tamen contendunt ambo ex verbis domini,Filius hominis qui est in cœlo, nequaquá cósequi Christum etiá iuxta humanitatem fuisse in cœlo,cú esset in vtero matris vel in terris.Christi enim humanitaté nó pertingere ad omnia ea loca ad quæ se extendit

Filius hominis ante ascensionem in cœlo.

diuinitas,neq; illam esse vbiq;,sed manere circumscriptam. Quæ quidem vetus & orthodoxa est manetque doctrina,toto pectore nobis retinenda.

De omnipotentia Dei, & quod ex ipsa nō sint colligenda quælibet: ac eos qui ita de ipsa sentiunt omnipotentiam Dei non negare. CAP. X.

Quare disputatio cœpta de corpore absq; loco subsistente.

POst hæc nouá ingreditur ille disputationem de eo, quod corpus Christi verum corpus & esse & manere posit, tametsi loco non cõtineatur aut circumscribatur.Hanc disputationem hoc cœpit consilio, vt commodè & elabi & tergiuersari posit, cum ipsi obijcitur, quando docet corpus Christi factum esse infinitum, negare ipsum veritatē humanæ naturæ,aut corporis Christi, cuius quidem proprietas sit circumscriptum & in loco esse, non infinitũ & vbiq; esse: quare simul discindat in diuisam Christi personam, vnamq; duntaxat ex duabus retineat naturá.His enim nunc ille opponit,corpus Christi tametsi factum sit infinitum, nihilominus esse & manere corpus verum. Et quamuis prudentibus lectoribus palàm hic appareat, aduersariũ propter semel susceptá contentionē, inuicta quadá peruicacia, opponere se Christi ecclesię eiusq; doctoribus orthodoxis & scripturis,vt hoc nomine friuolam

lam eius loquentiam ſecure potuiſſem præte-
rire, quia tamen ille nugas ſuas fuco quodam
tinxit, abſtergendus hic eſſe videtur ſpongia
ſimplicis veritatis, necubi offendantur aut im
pingant ſimpliciores.

Vrget autem ille omnipotentiam Dei præ cæteris. At hac in cauſa mirum eſt profectò, quam vociferetur contra nos incõdite, quam denique inſaniat, & quanta amarulentia nos tanquam Epicureos impios, coram toto mundo traducat, Martyrem imprimis: cui ſanè impingit, quaſi ſimpliciter omnipotentiam Dei negarit. Idem, Hic ſolent metiri, inquit, & ſuis limitibus definire omnipotentiam Dei, videlicet Deum non omnia ſimpliciter poſſe. Ijſdem ferè vtuntur argumentis, quibus olim Plinius ille ἄθεος Epicureus omnipotentiam Dei oppugnauit. Breuiter, ea fieri non poſſe affirmant, quæ rei naturæ & definitioni repugnant. Hic eſt Zuinglianorũ aheneus murus & illa chalybea machina. Irruit prçterea hic iterum in Theodoretum, & amaro arrodit dẽte, quod ille quondam dixit, non indefinite pronunciandum eſſe omnia Deum poſſe. Excidit hoc ei, inquit, non tantum incogitanter & temere, verumetiam periculoſe, adderem etiam impie: niſi ipſe libenter dicta maiorum commode & clementer interpretarer. Ac pergit

Quid colligat ex omnipotentia aduerſarius.

& ait, Quid ergo vobis vultis? Peccauit ergo archangelus qui indefinite & absolute dixit, Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum. Peccauit & Christus ipse, qui apud Matthæum & Marcum indefinite dixit, Apud Deum omnia ſunt poſsibilia. Ecce igitur nobis Theodoretum & Martyrem, nouos dicendi magiſtros, qui & archangelum & Christum ipſum ſub ferulam trahant, ac rectè & pie loqui doceant, Hæc ille. Deinde ſapientia illa ſua ſingulari & exquiſita, in qua ſibi mirum in modum placet, vias modoſque perquirit, per quos facta videri queant infecta. Denique totum ſeſe hic implicat ſophiſtarum tricis, argutiaſque affectando, tam ineptum ſe prębet, vt ineptiendo ſemetipſum confutet.

Martyr nō negat ſimpliciter omnipotentiā Dei.

Et quantum quidem Martyrem attinet, luculenta ipſum afficit iniuria. Abunde enim hic ſatis folio Dialogi ſui quarto & ſequenti, declarat ſe Dei omnipotentiam nullis carceribus includere multoque minus abnegare, aut etiam oppugnare, ſed libere potius confiteri. Non docuit aut ſenſit ille de Dei omnipotentia diuerſum ab his quæ concorditer perpetuo in eccleſia Chriſti & tradita ſunt & credita, Deum videlicet non poſſe ea quæ non poſſunt fieri. Non quod Deus non omnia

omnia posſit: ſed quod iſta ſecundum ipſarum naturam fieri non poſsint, & quod Deus ipſa fieri nolit: vt cum ſcriptura dicit, Deum non poſſe vel mentiri vel ſe negare. Cuius quidem generis & alia innumera ſunt.

Brentius ipſe concedit Deo nō omnia poſſibilia.

Quid quod ipſe Brentius in hoc ipſo libro, in quo nos ita flagellat, aperte dicit, Non facit quidem Deus omnia quæ poteſt, &c. Et iterum, Negari quidem non poteſt, inquit, quin nonnulla ſint quæ fieri non queant. Neque enim Deus poteſt cogi, vim pati, mori & interire, &c. Si autem ille nihil hiſce peccauit ſuis illis ſententijs, ſicuti ipſum hac in re non reprehendimus, cur ille in nobis tam atrociter perſequitur, quod ipſemet, vt rectum verumq́ue confitetur? Quare annumerat nos Plinio, Epicuro & alijs impijs omni potentiam Dei oppugnantibus? Reddet certè rationem aliquando iuſto iudici, pro tantis, in nihil tale meritos, contumelijs.

Quæ in re controuertatur in præſentia.

Neq; verò controuertitur inter nos de eo An Deus ſit omnipotens nec ne? Nam credimus & confitemur Deum eſſe omnipotētem. De eo potius eſt quæſtio, An Deus ideo omnia faciat, quia omnia poteſt? Et, An ex eo quod Deus eſt omnipotens, quidlibet concludi debeat? Exempli gratia, Deus eſt omni-

potens:ergo hoc vel illud fecit. Et in causa pręsenti, Deo omnia sunt possibilia, ergo corpus verum est sine circumscriptione & loco, Ergo verum Domini corpus, quod resurrexit ex mortuis & ascendit in cœlum, est & manet verum corpus, & est nihilominus vbique. Ad ista respondemus, ex omnipotentia Dei non concludẽdum esse quid libet, quasi factum sit quod tamen constat factum non esse. Deus enim qui omnipotens est, non omnia vult, quæ nos volumus, & quæ ex eius omnipotentia colligimus: imprimis verò ea non vult, quæ cum natura eius cum verbo atque veritate eius pugnant. Quando itaque in veris certissimis & infallibilibus fidei nostræ Christianæ capitibus manifestè confitemur illud ipsum corpus quod natum est ex Maria semper virgine, crucifixum est, mortuum & sepultum, quod resurrexit & ascendit in cœlum, vbi & verum corpus humanum manet, in substantia, forma & membris, coæquale & consubstantiale nostris corporibus, quæ nobis in resurrectione restituentur: quæ & ipsa erunt vera corpora, in substantia, in forma atque membris, ac loco circumscripta: ista profectò Deus per omnipotentiam suam non abolet, quod ipsius opus est, & quod ipse nos vt veritatem immutabilem credere

& con-

& confiteri docuit. Et proinde dicimus aduersarium perperam colligere cum ita concludit, Deo omnia ſunt poſsibilia, ergo corpus domini in cœlo nullo circumſcriptum eſt loco, ſed eſt vbiq;.

Videt præterea ille, ſi modo vti vult oculis, quinam ſit Zuinglianorum murus aheneus & illa chalybea machina, non quod ipſe ſuſpicatur, ſed fides catholica fideiq; Chriſtianę firmitas & robur inuictum. Si verò cupit hic etiam illuſtre huius rei teſtimonium habere, ex ſcriptore aliquo vetuſto, audiat beatum Cyrillum ad Succeſ. Iſaur. Dioceſ. epiſc. ita ſcribẽtem per epiſt. Æqualis probatur ineptiæ dicere conuerſum eſſe corpus in deitatis naturam & illud quod Verbum ſit in carnis ſubſtantiã commutatũ. Sicut enim hoc impoſsibile eſt (en impoſsibile eſt) quia inconuertibile & immutabile comprobatur, ita illud etiam nõ eſt poſsibile (en iterum impoſsibile) in deitatis eſſentiam vel naturam aliquid creaturarum poſſe conuerti. Eſt autem creata etiam caro. Ideoq; diuinũ quidem dicimus corpus Chriſti, quia corpus eſt Dei & ineffabili gloria illuſtratum, incorruptibile & iam ſanctum atque viuificum confitemur. Quod autem in naturam deitatis ſit commutatum, neq; ſanctorũ patrum quiſquam ſenſit aut docuit, neq; nos

Zuinglianorum murus aheneus.

ita ſentimus. Hæc ille. Quę ſi vera ſunt vbi itaque manet Brentij doctrina de eo quod finitum ſit factum infinitũ, & quod corpus Chriſti ſit vbique?

Theodor. iterum defenſus.

Quantum verò attinet ad beatum Theodoretũ, & bina illa archangeli & domini Chriſti teſtimonia, Deo omnia ſunt poſsibilia, temere & impudenter ſatis hic iterum contra optime meritum Theodoretum proſilit aduerſ. Sua autem illa proteruia plus quàm ipſe exiſtimet ſuæ detrahit exiſtimationi, apud prudẽtiores. Nam Theodoretus non ſine mẽte per incogitantiam, nec ſine pietate vlloúe cum periculo, ſic ſcriptum reliquit, Diuinam vt eſt veriſimile naturam penitus ignoratis. Dominus Deus nihil vult eorum, quæ non ſibi ſuapte natura inſunt. Poteſt autem quæcunque vult. Vult autem quæ ſunt ſuæ naturæ apta & conuenientia. Et reliqua quæ contra Eutychianos docte & valide proſequitur, tanta certè euidẽtia, vt Brentius ea nunquam ſit concuſſurus nedum euerſurus. Legat quibus ocium eſt tertium eius Dialogum à folio 177. vſque ad 181.

Catholica de omnipotentia Dei doctrina.

Quod autem ibi diſputat Theodoretus de omnipotentia Dei cum alijs omnibus eccleſię doctoribus commune habet. Omnes enim hic conſpirant. Nullo autem argumento hæretici frequen

frequentius sunt vsi, in oppugnanda Christiana doctrina, quã hoc ab omnipotentia Dei petito. Quicquid enim libebat & quod claris scripturæ testimonijs probare non poterant, ex omnipotentia Dei concludebant. Sic colligebat Praxeas ille quõdam, Deo omnia sunt possibilia, ergo hoc quoque ei est possibile, quod filius sit pater. Respondet autem Tertullianus & ait, ex omnipotẽtia Dei non quidlibet esse concludendum. Tametsi enim Deus possit omnia, non velle tamen ipsum omnia. Proinde id ipsum non posse quod nolit: quale illud sit quod filius in trinitate secunda persona, pater sit. Eutychiani quoq; ita colligebant, Deo omnia possibilia sunt, proinde est & illud ei possibile quod in carne diuinitas passionis sit facta particeps. Ad hoc argumentum respõdet Theodoretus, ita vt paulò ante commemoraui, & quod aduersario non admodum sapit. Verum non alia scripsit & August. de omnipotentia Dei, libro de ciuit. Dei 5. cap. 10. & plurib. alijs in locis. Præterea nemo ignorat palã in euangel. dixisse dominũ, Pater oĩa tibi possibilia sunt, aufer à me calicẽ hunc. Et qd̃ iterum dixit, Pater si possibile est transeat à me calix iste. Sed non mea, sed tua uoluntas fiat. Sed & Marci capite sexto ita scriptum legimus, Et non poterat Iesus in patria sua

Omnia quæcunq; uoluit fecit.

virtutem vllam edere, nisi quod paucos infirmos, impositis manibus, sanauit. Ac mirabatur propter incredulitatem eorum. An non & hæc illustria testimonia scripturæ euidenter euincunt de omnipotentia Dei non argutandum esse pro nostra libidine, sed magis secundum voluntatem Dei?

Ex quibus omnibus & hoc pius intelligit lector, nos non tantum inhærere orthodoxæ & catholicæ doctrinæ de omnipotentia Dei, neque quicquam vel nouum vel veritati scripturarum contrariũ comminisci & inuehere: sed & omnes eos turpiter aberrare, quotquot ex verbis archãgeli Dei, & ipsius domini Christi sententia, Omnia apud Deum sunt posibilia, quidlibet, etiam hoc quod naturæ Dei, fidei Christianæ, & verbo Dei vel non cõgruit vel cũ ijs pugnat colligũt. Apparet deniq; nos neq; archangelum Dei neq; ipsum dominum Iesum, sub ferulam trahere, & quid aut quomodo illi loquantur, erudire velle. Id quod tamen inurere nobis cupit aduersarius, nõ tam acerbe per risum, quem vocant Sardonium, quã maligne. Rectè verò nobis loquitur scriptura, quam correctam nolumus: videat modo Brentius, vt ipse illam rectè intelligat, caueatq; mature, ne illorum frequentet scholã, & ab his discat, quos olim orthodoxi ecclesiæ docto-

Apud Deũ omnia possibilia.

doctores & impugnarunt & repudiarunt.

De eo quod Brentius asserit in loco esse nõ esse corporis ueri proprietatem: quando idem corpus simul & semel in diuersis poßit esse locis ut nihilominus uerum corpus maneat.

CAPVT XI.

VT autem astruat aduersar. Christi corpus posse esse sine loco, imò nullo in loco, sed vbique, producit rursus suam illam exaltationem suo imbutã sensu, vtpote quam adfirmat super omne nomen factam. Cui mox adiungit, Cum autem constet & corpus & locum referri sub nomen, supra quod exaltatũ dicatur dominus, consequens esse, quod Christi corpus & supra locum & corpus ipsum sit exaltatum, & iccirco vbique sit omniaque adimpleat tam supera quam infera: non quidem crasso illo mundanoq; modo, sed ea potius ratione, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Cæterum breuibus hæc diluta sunt vtcunq; fol. 68. & 69. Responf. nostræ prioris. Deinde spõte damus aduersario, modum illum, quem infinito suo corpori tribuit, quo videlicet vbique sit & infra patiret & supera adimpleat. Nullus enim piorum prudentiumq; virorum vnquam ab orthodoxa vetustate audiuit, nullus vnquam in sacris libris vidit, neque vllius animum vn-

Exaltatio non collocat humanitatem Christi in ubiquitatem uel omnipræsentiã.

quam ſubijt, aliud quam verum corpus ſuum locum & ſua membra ſuamq́; ſubſtantiam retinere: & icc irco cum fidei noſtræ decretis traditum ſit atq; conſtet corpus domini noſtri Ieſu Chriſti ad dexterá patris verum eſſe corpus, oportet ſanè hoc ipſum quoq; ſuá retinere ſubſtantiam, ſuumq́; locum, & icc irco neq; immenſum eſſe neq; vbiq;. Qui verò ita ſentiunt minime, profectò agnoſcunt atq; recipiunt vbiquariam illam Brentij chimæram, maieſtate Dei fucatam atq; contectam.

Triplex ubiquitas.

Poſt hæc quo magis mirificum obſcurumque hoc eius negotium reddat ſi dijs placet perſpicuum, tenebris conduplicans tenebras, profert in medium vbiquitatem triplicem, localem repletiuam, & perſonalem. At ita ſi ducem hunc ſequeremur, ſubduceret nos rurſus in Ægyptum illam ſophiſticam, in qua abunde, ſi liberet, epulari expleriq́ue liceret, allio fœtido cepisq́ue & porro fumidis. Malunt autem veri Iſraelitæ paſci pane cœlitus depluto. Quod ſi cui cordi eſt cognoſcere quam vana ſint horum de vbiquitatibus illis commenta hominum, legat fidelium ſeruorum Dei, domini Zuinglij & D. Oecolampadij reſponſiones datas D. Luthero ad magnam eius confeſsionem.

Locus corporis accidens non ſubſtantia.

Quid verò? an non iudicabit homo ſobrius

tus ad sophisticam imprimis pertinere demon strationem aduersarij de eo institutam, quod locus sit corporis accidens nõ substantia? Sed qualis hic obsecrocernitur mutatio? Ille enim qui hactenus in nobis reprehendit mordaciter, quod Aristotelem in multis videamur sequuti, ille inquam nunc nobis suum profert Porphyrium, dicẽtem, Accidens est quod adesse & abesse potest, præter subiecti corruptionem. Sed quorsum in re tantos sibi sumit labores exantlandos? Nemo enim ignorat corpus manere corpus, tametsi in hoc aut in illo loco nõ sit. Inde verò non sequitur, quod in nullo loco vel sit vel esse posit. Tametsi enim in hoc vel illo loco non sit, est tamẽ alicubi, aut aliquo in loco. Quod enim nullibi, id est nullo loco est, non est. Et proinde Theod. eximius non tam theologus quã philosophus, disputans de substãtia & accidentib. gloriosorũ corporum, locum vel corporis circumscript. non inter ea deputat, quæ à corpore decedũt, sed inter ea supputat quæ permanẽt. Verba eius si quis reqrat hæc sunt, Dominicũ corpus surrexit quidem à corruptione & interitu alienũ, & impatibile, & immortale, & diuina gloria glorificatũ, & lucis emittẽs radios, & à cœlestib. adoratur potestatib. corpus tamẽ est, & habet, q̃ prius habuit, circũscr. Hęc ille. Habet

hic aduersarius quo vel pulchre proficiat, vel Theodor. rursus hostiliter & odiose impetat.

Vnum corpus in pluribus uel omnibus locis.

Nihilo his robustior est & illa istius probatio, qua astruere contendit hominis corpusculum vel absq; loco, vel in plurib. locis cōserua ri adeoq; omnib. locis collocari posse, Quod si duo, inquit, corpora fuerint simul in vno atq; in eodem loco, necessariū erit, vt alterū eorū nō sit in loco, ne physicis absurdissima fieri dicantur. Manifestum aūt est quod cū Christus penetraret in natiuitate sua per clausum virginis vterum, in resurrectione sua per saxum monumenti, in apparitione coram discipulis per clausam ianuā, duo corpora fuerint simul in vno eodemq; loco, quare & illud manifestū est, quod corpus humanum possit esse sine loco. Hæc ille. Demiror autem vehementer putidas has nugas non sordere aduersario, neq; tantarum suppudere ipsum ineptiarum. Videāt hic viri prudentes, quam in multis ipsum reprehendere, & quam acriter ipsum constringere possem: sed breuib. ita respondeo, superius etiam dictum esse verbis Hieronymi, creaturam, ianuam nimirum cessisse aut apertam esse creatori, prout opera angeli etiam in Act. 5. & 12. cap. creaturæ, id est, discipulis cessit. De lapide sepulchri manifeste testatur fides euangelica, ab ostio sepulchri per angelū esse remo

tum

tum.Iam & deipara virgo Maria per potentiam Dei, Deum & hominem nobis genuit,& quidem virgo genuit,prout ſcriptura apertiſſimè atteſtatur. Scripturæ apertæ credo, arcana Dei ſcrutari nolo. Brentius ergo nondum nobis probauit corpus humanum ſimul & ſemel duobus aut pluribus eſſe in locis, nedum vbique. Declarat autem huiuſmodi elumbibus planè nixibus, quàm ſuſtineat cauſam morbidam.

MARIA Dei mater ſanctiſsima uirgo perpetua.

Parum verò ingenue cũ Martyre in præſentia agit Brentius, qui affirmat iſtum negare Chriſtum penetraſſe per clauſum virginis vterum,atque ita etiam negaſſe & S. Auguſtini & Bullingeri collegæ ſui authoritatem. At cùm ſingulariter de hac cauſa cum ipſo contulerim,ſcio quid de ea ſenſerit,ſcio vtrique noſtrûm pulchre in hoc cõgruere, ſanctiſsimam videlicet Dei matrem virginem Mariam peperiſſe virginem, virginemq́; permanere perpetuam. Sic enim ſentire nos docuit veritas ſcripturæ. Sic nos credere & ꝓfiteri iubet regula vel ſymbolum fidei. Sic concorditer ſenſit vniuerſa vetuſtas orthodoxa. Id quidem videre licet in veterum monumentis, apud S. Hieronymum contra Heluidium, & contra Pelagium, & in apologia pro lib. contra Iouinianum: item apud Epiphanium contra An-

tidicomar.rurſus apud Ambroſ. epiſt. lib.10. epiſt. 79. & 81.iterum apud S. Auguſt.lib. de ciuit. Dei 22.cap.8. & in Tract. Ioan.10. & 28. & de hæreſ.ad Quoduult.hæreſi 82. & in Enchiridio cap.34. Sed & apud Gregor. Nyſſenũ de Sancta Chriſti natiuitate:deniq; apud Leonẽ epiſt.6. ad Iulian. præterea apud Fulgent. de laud. Mariæ, & apud Seduliũ lib.2.de mir. Chriſti. Sed nihil fuerat opus iſta proferre. Tuetur ſuam ipſemet Martyr innocentiam in ſuo illo Dialogo,in quo cùm aliquot doctorum recitaſſet ſententiam,ſubijcit mox, & dicit, Non ignoro quid hac de re Hieronymus contra Heluidium diſputarit. Cum Heluidio non facio, neq; virginitatem Mariæ incorruptam, hiſce patrum teſtimonijs in dubium reuocatam velim. Et ſcio locum Ezechielis 44. de porta clauſa conſueuiſſe à celeberrimis patribus ad beatam virginem adaptari, quemadmodum & Ambroſius cum quibuſdam alijs epiſcopis 81.epiſt.lib.10.fecit, &c. Hæc omnia ſunt Martyris, qui ipſus à ſe non minus verè quàm euidenter infamiam depulit, quam ipſi cõciliare inurereque conatus eſt aduerſarius.

Martyr de Virginitate Mariæ.

Quàm probè verò ſibi congruat quod ille ait, Corpus nullo eſſe in loco,eſſeq; hoc in pluribus adeoque omnibus in locis, intelligunt vel pueri, qui vix dum tria numerare queunt.

Sibi ipſi repugnans ſententia.

unt. Et quòd obijcit, Christum esse iuxta Zuinglianorum doctrinam in cœlo, eundem tamen ad Damascum, & Hierosolymis denique in carcere colloqui cum Paulo, vnde necessariò conficiatur corpus Domini vno eodemquem tempore in diuersis locis, vtpote in cœlo & in terra fuisse, dudum diluit beatus Augustinus in Comment. suo ad epistolam Ioannis, vbi dicit Christum non amplius loqui in terris, sed in cœlo & de ipso cœlo. Vnde & Paulo sit loquutus. Sed & alibi ostensum est nihil necesse esse Christum, vt suis loquatur, corporaliter descendere de cœlo. Ac spero hactenus commonstrasse me, quòd aduersarius nullis probarit ostenderitq; euidentibus argumentis, Christi corpus esse sine loco, & nihilo minus tamen manere verum corpus, in multis locis aut vbique.

Corporis proprietatem esse, in loco esse uno & non in pluribus, & quod corpus Christi non sit ubiq;. CAP. XII.

REquirunt à nobis nostri aduersarij, vt eis ex diuinis literis probemus humanum corpus nisi loco circũscribatur existere nõ posse, ac esse imposſibile vt vnum idemq; corpus eodẽ tempore sit in diuersis locis. Nos è diuerso eadẽ lege cum eis agere possemus, petendo ab illis, vt nobis probent, & quidem

ex diuinis literis, corpus humanum absq; circumſcriptione loci exiſtere poſſe. Verum ne diutius nectamus moram, breuiter ita nos explicamus. Principio dicimus eſſe res quaſdam naturales inter homines, ita communes, certas atq; compertas, vt nemo de ipſis dubitet, quin tales ſint, quales eſſe apparent, vt quòd lux natura ſua lucet, tenebræ autem obſcuræ ſunt, & ignis calidus, ferrum verò durum eſt. Ergo ſi quis ſit, qui requirat ſibi iſtas res demonſtrari, nempe quòd lux luceat, obſcuræ ſint tenebrę, caleat ignis, & durum ſit ferrum, quid aliud de hoc prudentes iudicabunt omnes, quàm vel mentis motę eſſe hominem, uel inſignem aliquem rixatorem? Proinde cùm confeſſum ſit apud omnes proq; compertiſſimo ab vniuerſis habeatur, proprietatem veritatemq́ue corporis humani in eo eſſe, quod non per omnia diffunditur, ſed loco terminisq́ue ſuis circumſcribitur, denique ſi careat loco, neque vſquam ſit, planè nō extare, quid obſecro neceſſe eſt id argumentis aſtruere, quod omnes habent pro compertiſsimo?

Corpus nō eſſe ſine loco.

Deinde dicimus literas diuinas tantā agnouiſſe connexionē inter locum et corpus, quòd loco ipſo continetur, vt loco remoto, velint intelligi nuſquam eſſe corpus quod collocatur. Id autem nō valeret, ſi citra locū eſſe poſſit hu-

ſit hu-

ſit humanum corpus. Teſtimonia ſcripturæ ſi quis requirat, inueniet Iob cap. 7. et 20. et Pſal. 37. &c. Poſſem huius generis & alia proferre argumenta, verum omiſsis ijs, cùm quæſtio potiſsimum ſit de veritate corporis Chriſti, adducam in medium aliquot duntaxat illuſtria ex ſacroſancto Chriſti euangelio teſtimonia, quid de corporis Chriſti veritate ſentiamus, dilucidè docentia, nempe nunquam illud in pluribus fuiſſe locis nedū eſſe vbiq;.

Nunquam Chriſti corpus in pluribus locis fuit.

Ergo cùm corpus Domini in præſepio iaceret, non vtique apud paſtores erat, qui gregibus ſuis deſertis, iuſſu angeli, ipſum quærebant Bethlehemi in præſepio. Neq; tum erat Hieroſolymis aut vllis alijs in locis, ſed in præſepio duntaxat. Ita cùm corporaliter in Aegypto ageret, quo furorem declinans Herodis, profugerat, non erat tunc in Iudæa, ſed eò demum redibat, poſtquàm defunctus eſſet Herodes, ac tunc non amplius erat in Aegypto. Sicuti nec apud parentes ſuos erat, cùm amiſſum non ſine ingenti dolore quærerent.

Quinimò ipſe Dominus in euangelio ſecundum Ioan. dicit, Amicus noſter Lazarus mortuus eſt, ſed abeo excitatum ipſum. Ac gaudeo propter vos, quòd non fuerim ibi, vt vos credatis. Ioan. 11. Si autem Bethaniæ non fuit, vt veraciſsimè atteſtatur, certè corpus

eius pluribus in locis non eſt,nedũ vbiq;. Vbi denuo erroris reuincitur Brentij doctrina, qui aſſerit in ipſo mox vtero matris humanitatem Chriſti ſic exaltatam eſſe in diuinam maieſtatem, vt vbicunq; eſt diuinitas ibidem ſit & humanitas. Certiſsimum eſt enim diuinam maieſtatem fuiſſe tunc Bethaniæ quando corpus Chriſti Bethaniæ non fuit. Diſertum eſt enim verbum Chriſti, Gaudeo ſaltem propter vos, quod ibi non fuerim, &c.

Ne corpus quidem glorioſum pluribus in locis aut ubique eſt.

Si cui tamen in pręſenti videatur aliter conſyderandum eſſe corpus Chriſti glorioſum quàm nõdum gloria illuſtratum: reſpondeo, apud Brentiũ hæc nullum habere locũ, vtpote qui aſſerit Chriſti corpus in ipſa protinus conceptione in vtero matris, exaltatũ eſſe in diuinam maieſtatem. Deinde conſtat angelos loquentes de corpore glorioſo, mulieribus Dominum in ſepulchro quęrentibus, dixiſſe, Non eſt hîc. Si ergo non erat hîc, neceſſariò non erat vbiq;, alioqui enim & hîc fuiſſet. Rurſus ambulat Dominus ſuo illo corpore, quod excitarat ex mortuis, cum duobus diſcipulis Emauntem proficiſcentibus. Ac tum quando proficiſceretur cum his, tunc non erat in vrbe Hieroſolymorum. Ita cùm aſcendiſſet corpore ſuo Dominus in cœlum, non erat amplius cum diſcipulis ſuis in monte oliuarũ. Quem

admo

admodum & angeli veracisſimè teſtantur, & aiunt, Ieſum hunc aſſumptum eſſe ab ipſis ſurſum in cœlum. Proinde certisſimum eſt corpus Chriſti à reſurrectione non fuiſſe in pluribus locis nedum vbique.

Nemo autē arbitrabitur Dominū corpore ſuo in cœlo eſſe ſubſtantia ſua mutatū. Principio enim orthodoxè credimus Dominū noſtrū Ieſum Chriſtū vero illo ſuo corpore quo aſcēdit in cœlū redíturū in nubes ad iudicandū viuos & mortuos. Cæterū redire, & in nubibus apparere, in quibus ipſum omnis caro videbit, locū omnino & circūſcriptionē ſuam corpus illud retinere ſignificat. Corpus itaq; Dominicū inhabitatione cœli nō eſt mutatū, ſed retinens adhuc ſuā ſubſtantiā & formam, retinet ſimul in cœlo locum & circūſcriptionem ſuā & nō eſt vbiq;. Deinde manifeſtè dicit ſcriptura, Trāsformabit corpus noſtrū humile vt cōforme reddat corpori ſuo glorioſo. Philip.3. Atqui noſtra corpora in reſurrectione mortuorum, ſuam ſubſtantiam atq; formā vnà cum membris retinebunt, manebuntque finita non reddentur infinita aut vbiquaria: ſicuti & in ſymbolo fidei noſtræ confitemur, Credo carnis reſurrectionē. Proinde corpus Chriſti in cœlo, ad cuius formā noſtra illa trāſformabūtur, nō eſt mutatū, ſed retinet adhuc

Corpus Chriſti in cœlo non mutatum in ſubſtantia.

Qualia corpora clarificara futura.

proprietaté corporis veritatemque suam & locum, & finitum est non infinitum aut vbiquarium. Interim non nego mutationem quę est ex clarificatione sensu orthodoxo. De quo antea dictum est.

Si vociferetur hîc aduersarius & dicat, se non agnoscere consequutiones illas nostras, non petitas ex theologia, sed ex philosophia Aristotelica, monemus illum vt excutiat paulisper veternum, quo laborat. Ita enim videbit consequentias illas nostras deriuare nos, non ex Aristotele, sed ex Apostolo Paulo, qui ita nos colligere docuit. Nam principio argumentatur ille à nostro corpore ad ipsum Christi corpus, & ait, Si mortui non resurgunt, ne Christus quidem resurrexit. Rursus idem à corpore Christi, concludit argumentando ad nostra corpora, & dicit, Sed Christus resurrexit, resurgēt ergo & corpora nostra. 1. Cor. 15.

Corpus spirituale.

Arbitratur aduersarius maximum esse discrimē inter corpus huius seculi corporeum, & inter corpus alterius seculi spirituale. Et nos quidem in resurrectione mortuorum recipere claritatē vel gloriam, sed tanquā membra pro modulo nostro, &c. Cæterum ad hæc antea quoque responsum est, vbi ostēsum est, ipsa etiam spiritualia à resurrectione corpora, neque substātiam neque formam membraúe

aut

aut membrorũ ſitum amittere vel deponere, ſed retinere: differentiam verò in alijs quàm in his apparere. Excellere quidem multis modis Chriſtum in gloria, vtpote caput noſtrũ, cuius nos membra ſumus, ꝓ modulo noſtro gloria illa participantes, interim tamen corpus eius in gloria ſemper manere corpus verum, ſicuti & noſtra erunt corpora vera. Id quod iterum explanat beatus Theodoretus Dialogo 2. Inconfuſ. fol. 121.

Proinde cùm abunde hucuſque ſcripturæ teſtimonijs, præterea etiam regula vel ſymbolo fidei noſtræ commonſtrauerimus veri corporis proprietatem eſſe finitum non infinitum, aut vbique eſſe, ideoque & corpus Chriſti, quod verum in cœlo corpus manet, non eſſe vbique, porrò erunt vtique euidentiora beatorum teſtimonia hoc ipſum affirmantia comprobantiaque. Adduxi prius aliquot beati Auguſtini & Theodoreti teſtimonia. Celebre autem dictum eſt illud Auguſtini, Tolle ſpacia locorum corporibus, nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, ideò non erunt. Congruentia his docuerunt etiam alij ex Græcis celebres doctores, vt beatus Cyrillus in Ioannem lib. 1. cap. 9. & de Trin. lib. 2. Gregorius quoque Nazianzenus de Theol. lib. 2. Sententias authorum verbotim non recito, ne pro-

Patres teſtantur corporis proprietatem eſſe loco circumſcriptum uel finitum eſſe.

lixitate molestiã exhibeam auditoribus. Scio autem contra solidam hanc inuictamque veritatem frustra expedituros arma etiam illos, quibus in promptu sunt & argutiæ, & cũ audacia importunitateque lingua instructa.

De beatorum Patrũ doctrina, qua concorditer testantur omnes, Christi corpus in loco & non ubiq; esse. CAP. XIII.

COnatur quidem aduersarius adductis, imò detortis aliquot beati Augustini testimonijs, suá ornare causam, sed ita ineptè, vt illa nulla indigeant confutatione: præsertim cùm confessum sit apud omnes, obscuriora per illustriora esse interpretanda. Ait se patres debito prosequi honore ipsorumque dicta reuerenter excipere. Atqui cernunt interim omnes, quàm excipiat eos honorificè, quando parum eius opinionibus videntur fauere. Qua de re aliqua etiam dixi articulo 1. cap.7. Qua verò fronte ait ille neminem beatos patres Bullingero ignominia afficere maiori, vtpote qui ipsorum testimonijs ad confirmandum suum errorem, abutatur turpiter. Nondum tamen ille hactenus euincere potuit, vel meam doctrinam esse falsam, vel alicubi patrum sententias me detorsisse aut corrupisse contra ipsarum sententiam genuinam.

Addit

Addit his ille, Et alia eſt patrum alia Zuinglianorum ratio. Iudicamus patres ea fuiſſe pietate & modeſtia, vt ſi quid carnali imaginatione præoccupati, ſenſerũt & ſcripſerunt, quod cum analogia fidei non conueniat, admoniti libenter immutaſſent. Zuingliani autem, quàmuis ſæpe multis ſcriptis admoniti, tamen vſqueadeò non reſipiſcunt, vt multò peruicaciores aduerſus doctrinam verè piam fiant. Quare quod in patribus veniam mereatur, id in Zuinglianis excuſari non poterit. Hæc ille. Oſtendi autem in Reſponſ. mea priore Patres ſanctos nulla prę occupatos imaginatione carnali, dum veritatem humanæ naturæ Chriſti Domini in cœlo manentem; & confeſsi ſunt ingenue, & defenderunt fortiter, verum ſobrios ſynceram fidei confeſſionem edidiſſe, miſerumque fore Brentium, niſi ipſe quoque ad eum modum credat & confiteatur.

Poſſemus hoc in ipſum retorquere rectius.

Atque hìc demum omnibus liquidò patet, quanti & ſe & res ſuas æſtimet Brẽtius. Præſumit enim totum illum ſanctiſsimorum doctiſsimorumque veteris eccleſiæ doctorum chorum, reuocare ſub ferulam, ac hos à ſuis illis in hac cauſa conceptis imaginationibus abducere craſsis atq; carnalibus, tandemque informatos rectius, ſublimiores ex ijs facere

Amplisſimè de ſe & ſuis ſentit Brentius.

theologos, nimirum qui iuxta ſublimẽ illam eius theologiam, & ipſi porrò omnia inter ſe commiſceant, inferos cœlis, angelos dæmonibus, diuinitatem humanitati, humilitatẽ exaltationi, iſtaque omnia nouo quodam modo & adeò ſubtili, vt nihil tale vnquam vel vllius hominis oculus viderit, aut auris audiuerit, vel in vllius cor hominis aſcenderit. Verum aduerſarium hîc seriò admoneo, verborum apoſtoli ſemper meminerit, Noli altum ſapere, ſed time, &c.

Patrum ſeculo fuiſſet opinio Brẽtij exploſa.

Pollicetur quidem ille ſibi de beatis patribus, quòd mutaſſent ſententiam ſuam, ſi ab ipſo vel aliquo fuiſſent admoniti. Ego verò illi hoc potius dico, & verè quidem dico, Si patrum ſeculo ita docuiſſet ipſe, ſicuti noſtro hoc ſeculo docet, finitum videlicet Domini corpus factum infinitum, & hoc nullo contineri loco, ſed eſſe vbiq;, vt de cœlo & alijs eius nouis opinionibus nihil dicam, inuaſiſſent illũ haud dubie agminatim oppugnauiſſentq; ipſum validè, nec deſijſſent aut cum ipſo redijſſent in gratiam, quam ipſe vel mutaſſet ſententiam, vel omnes probè admoniti intellexiſſent ſibi à prauo hoc cauendum eſſe dogmate.

Quid verò inter alia ſua illa nobis dicit de beatis patribus? Suſpicatur ne eos in hac cauſa quid-

ſa quidpiam contra veræ fidei analogiam vel credidiſſe vel docuiſſe? Deſinat ille iſtos hac parte in vllá raperere ſuſpicionem. Norunt optimè qui paulò diligentius patrum ſcripta legerunt, alicubi eos vt homines cæcutiuiſſe, & habuiſſe aliquando opiniones peculiares. At illi ipſi interim diffiteri non poſſunt, in incarnationis Dominicæ myſterio, & in cauſa veræ humanitatis veriq́ue corporis Chriſti ad dexteram Dei ſedentis, velut in negotio catholicæ fidei, nihil peculiare habuiſſe, ſed omnes pariter vnius & eiuſdem fuiſſe eſſeq́ue ſententiæ vel doctrinæ confeſsionisq́ue, nempe Chriſtum Dominum in vna indiuiſa perſona retinere duas diſtinctas naturas diuinitatē & humanitatem in ſua proprietate vel veritate manentes, ideoq́ue eundem Chriſtum Dominum ſecundum diuinitatē eſſe vbique, ſecundum humanitatem autem non eſſe vbique. Breuior hîc ſum, quòd huius generis attigerim quædam et in 7.cap.huius operis parte. 1.

Patres hac in cauſa nihil incongruum analogiæ fidei ſcripſerunt

Imprimis verò propoſueram Brentio ſpectanda & expendenda duo luculentiſsima ſanctorum patrum teſtimonia, alterum quidem beati epiſcopi Auguſtini, alterum verò beati martyris & epiſcopi Vigilij. Vterque ſuo teſtimonio profeſſus eſt, non tantum quid ipſe

Auguſtini & Vigilij teſtimonia adducta.

crediderit & docuerit, ſed qualis ipſorum ſe-
culo fuerit & doctrina & fides catholica per
vniuerſam Chriſti eccleſiam. Nec pigebit me,
cùm videam in his magna eſſe momenta, imò
cauſæ noſtræ robora, quędam ex ijs repetere.
Auguſtinus inter alia verba, quæ Reſpõſ. meæ
prioris fol. 79. verbotim recenſui, ita dicit, Fi-
Orthodoxa & catholica fides et doctrina in hoc negotio.
deliter tene CHRISTIANAM CON-
FESSIONEM, quoniam reſurrexit à mor-
tuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad Dexteram pa
tris: nec aliunde, quàm inde venturus eſt iudi
care viuos & mortuos. Et ſic venturus eſt il-
la angelica voce teſtante, quemadmodum ire
viſus eſt in cœlum: id eſt in eadem carnis for-
ma atque ſubſtantia, cui profectò immortali-
tatem dedit, naturam nõ abſtulit. Secundum
hanc formam non eſt putandus vbique diffu-
ſus. Cauendum eſt enim ne ita diuinitatem
aſtruamus hominis, vt veritatem corporis au
feramus. Non eſt autem conſequens, vt quod
in Deo eſt, ita ſit vbique ut Deus. Et mox
idem ille, Vna, inquit, perſona Deus & homo
eſt, & vtrũque eſt vnus Chriſtus Ieſus, vbiq;
per id quod Deus eſt, in cœlo aũt per id quod
homo, &c. Hæc Auguſt. Porrò Vigilius, Cla-
ret, inquit, vnum & eundẽ Chriſtum vtriuſq;
eſſe naturæ, & eſſe quidem vbiq; ſecnndũ na-
turam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecun
dum

dum naturá humanitatis suæ. Circũscribitur loco per naturá carnis suæ, & nõ capitur loco per naturam diuinitatis suæ. Et mortuus est natura carnis suæ, & non est mortuus natura diuinitatis suæ. Hæc est FIDES ET CONFESSIO CATHOLICA, quam apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsq; custodiunt. Hactenus Vigilius.

Non arbitror quenquam requisiturũ à nobis plura perspicaciora, simpliciora certioraq́; veterum de hac causa nostra testimonia. Illa ipsa prius quoq; obieceramus aduersario, qui tamen callidè dissimulando nihil prorsus ad ipsa respõdit. Dicet nunc fortassis illa nõ probè cũ analogia fidei cõgruere: quod libẽter illi dabimus, si suam, non catholicá intelligat fidẽ. Hæc etenim testimonia ab illius fide & doctrina dissentiunt plus, quod dici solet, quàm ex diametro. At cernunt cordati omnes, adductis illis testimonijs, beatos patres eam fidẽ esse professos, quam acceperant ex doctrina prophetica & apostolica, & quæ tum erat & manet vsq; adhuc fides orthodoxa & catholica. Habemus ergo ꝓ nobis nostraq́; doctrina, qua testamur corpus Christi nõ esse vbiq; irrefragabilia testimonia illá non esse nouá à nobis primùm excogitatá, neq; fidem nostram esse insynceram, sed veterem & apostolicam: rursus autem Brentij doctrinam corpus Chri

ſti per omnia diffundentem, nouam eſſe ac inſynceram.

Conſenſus uetuſtatis à partibus noſtris.

Quòd ſi ille nunc quoq; id nobis oppoſuerit, quod in libro ſuo de Maieſtate ſcripſit ac dixit, Sequantur igitur Martyr & Bullingerus eruditam vetuſtatem, nos ſequemur rudem vetuſtatem, illa longè antiquiorem. Sequantur doctos philoſophos, nos ſequemur indoctos apoſtolos, &c. vel ex his eius verbis intelliget quiuis, à partibus noſtris inuictum ſtare teſtimonium & conſenſum orthodoxæ vetuſtatis, ac idcirco prudentiſsimè veriſsimeque beatæ memoriæ Philippum Melanchtonem Vbiquitatem illam Brentianam nuncupauiſſe prodigioſam & eruditæ vetuſtati incognitam. Quantum verò attinet ad Apoſtolos Chriſti, nemo adeò rudis eſt apoſtolicarum literarum, qui non dudum viderit, Vbiquitatem illam nō modo fuiſſe apoſtolis ignotam, ſed quod nihil vnquá de ipſa eis vel per ſomnium venerit in mentem, certè ne verbo quidem vllo eius per vniuerſam ipſorum prædicationem fecēre mentionem. Adhæc maniſeſtiſsimum eſt, antiquos patres, ſuam illam de fide catholica doctrinam, cui hæc cauſa noſtra agnata eſt, petijſſe ex doctrina apoſtolica, vt iam tutius omnes patrum quàm Brentianæ in hac cauſa doctrinæ acquieſcant.

Philippus Melanchton de Vbiquitate.

Diuini-

Diuinitatem Christi domini neq; negari à nobis, neq; criminis blasphemiæ, quo detulit nos Brentius, reos esse. CAP. XIIII.

REquirit tandem tempus locus res & necessitas vt respondeam ad grauissimas aduersarij accusationes. Mox enim ab initio libri sui, quo nos omnibus inuisos reddat, ac nõdũ auditos & veluti ex improuiso adobruat, magnis ac furiosis in nos vociferationibus, veluti in hereticos extreme sacrilegos inuehitur. Pollicetur autem se suo illo libro planissimè commonstraturum, vt pij omnes intelligant, quam perniciosum errorem satan in ecclesiam filij Dei, per Zuinglianum dogmà inuehere meditetur. Ab initio quidem hoc fuisse caput, Vtrum corpus & sanguis Christi vere sint præsentia & dispensentur in cœna? at Zuinglianorum intemperie factum esse, vt nunc aliud κρινόμενον sit propositum, videlicet, Vtrum Deus sit vere omnipotens? Et, Vtrum Christus non sit tantum homo, sed etiam verus Deus? Vera omnipotẽtia Dei, inquit, vera diuinitas & maiestas Dei (quod quidem est in Zuinglianis) periclitantur, adeoq; verè pia sententia horum præcipuorum articulorum nostræ religionis, Verbum caro factum est, Ascendit in Cœlum, Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, in dubium vocatur, &c.

Graues aduersarij accusationes.

Ad quæ respondemus simpliciter, aduersarium libro suo non demonstrasse neq; demõstrare potuisse, quod se recepit facturum. Nullos enim errores perniciosos per nos inuexit in ecclesiam Dei satan. Id quod hac nostra responsione planum nos fecisse testabitur spero lector pius, qui & temerariam aduersarij audaciam in multis deprehendit. Nostræ innocentiæ ferent testimonium cum ecclesiæ quibus inseruimus, tum libri à nobis editi. Semper quanto zelo, quanta fide & diligentia, quanta perspicuitate item & euidentia potuimus docuimus Christum verum Deum & verum hominem esse: contradicentibus aũt obstitimus, quàm vehemẽtissimè, in quo pietatis studio perseueramus per Dei gratiam adhuc. De omnipotentia Dei respondimus superius.

Quis in cõtentionem & in dubiũ abripuerit articulos fidei nostræ

Quis autem in certamine hoc sacramentario in contentionem adeoq; in dubium rapuerit potiores nostræ religionis fideiq; articulos, non erit difficile omnibus pijs patefacere. Etenim qui legerunt libros nostros paulò diligentius, testabuntur nos perpetuò studuisse simplicitati, adeoq; abhorruisse ab acutis illis theorematis, atq; ideo articulis fidei nostrę adhæsisse religiose. De istis nihil disputauimus argutius & in eos nihil inquisiuimus curiosius: Sed horum duntaxat articulorũ præsidio simpli-

ſimpliciq; ſenſu conabamur ſenſum nimis car
nalem parumq; ſacramentalem,horum domi-
ni verborum,Hoc eſt corpus meum,refellere.
Exponebantur illa ab aduerſarijs , In hoc vel
cum & ſub hoc pane eſt corpus Chriſti ſubſtá
tialiter & corporaliter , & manducatur etiam
ab incredulis corporaliter. Huic inquá expo-
ſitioni oppoſuimus nos fidei articulos,ac dixi
mus,filium Dei iuxta fidem noſtram , veram
aſſumpſiſſe naturam humanam,quam neq; in
reſurrectione neque in aſcenſione in cœlum
depoſuerit,ſed eandem retinuerit ſemper,reti
neatq; adhuc in cœlo.Cum aũt corpus domi-
ni,pro natura & proprietate corporũ non ſit
in plurib.locis,ideoq; in cœlis ſit corporaliter
non aũt in terra,verba certe domini , Hoc eſt
corpus meum,non illum habere ſenſum craſ-
ſum, quem aduerſarij obtrudunt: neq; poſſe
domini corpus mãducari corporaliter, ſed ſpi
ritualiter per fidẽ,& modũ ſacramẽto ꝓpriũ.

Cæterum vt aduerſarij nobis extorquerẽt
ex manibus fidei articulos, & ſimplicioribus
perſuaderent,hos nihil ad explicationem cœ-
næ facere , nebulas verborum cœperunt le-
ctorum oculis offundere, ita de fidei articu-
lis differentes,vt ſenſum illum ipſorum cor-
poralem facile ferre poſſe viderentur. Diſpu-
tare ergo cœperunt de aſcenſ. domini in cœlũ

qualis ea fuerit ? Nos interim in ſimplicitate veritatis perſeuerantes, defendimus aſcenſionem dominici corporis veram fuiſſe & corporalem. Simul cœperunt hic diſputationes de dextera Dei, & quod hæc ſit vbique. Vbi nos iterum nihil à ſimplicitate fidei recedentes, docuimus dexteram Dei ad quam corpus domini aſcendit, in verbo Dei nobis oſtendi ſupra nos in cœlis, & non vbiq;. Huic certamini mox commixta eſt cōcertatio de ipſomet corpore dominico, aduerſarijs importunè affirmantibus, eſſe illud vbique. Qua in re ne tunc quicquam à ſimplici veritate variantes, affirmauimus naturam proprietatemq́; veri corporis, quale & corpus domini eſt, illud minime admittere. Erupere ergo adhuc furioſius aduerſarij, & vehementiſsima animorum contentione, in medium proponentes iam etiam ſubtiles illas diſputationes, de perſonali vnione naturarum, mox & de maieſtate domini noſtri Ieſu Chriſti, quod inquam humana eius natura exaltata ſit ſuper omne quod nominari poteſt, in ipſam vtique diuinam maieſtatem, vt iam finitum ſit factum infinitum, & corpus domini ſuper omnia euectum, iam nō tantū ſit in pluribus locis, ſed vbiq;, perinde vt diuinitas. At nos in hoc quoq; cōflictu graui, veterum inſiſtentes veſtigijs, inhærentesq́;

fidei

fidei ſynceritati, ea protulimus in medium, cuius ſpecimen in hac noſtra reſponſione exhibuimus. Supputet iam licet Brentius, & dicat quinam ſimplices fidei articulos in rixas & in dubium abripuerint, diſputationibusq́ue inuoluerint ſuperuacaneis imò curioſis & perniciosis. Verum agitur hic nobiſcum pro ratione canonis altercantium, Illud audacter in antagoniſtam deuoluito, cuius te culpam ſuſtinere nihil dubitas, ne tu reus videare.

Atq; hic demum totus in nos irruit aduerſarius ſemel nos vel nolẽtes redacturus in ordinem Iudæorum, Mahumediſtarum & hęreticorum, Ait enim Zuinglianos humanitati Chriſti inuidere diuinitatem, adimere nos humanitati omniſcientiam, omnipotentiam, omnipræſentiam, id eſt vbiquitatem, denique negare illam infinitæ eſſe potentiæ. Quid ergo diuinitatis, ait, relinquũt ei? Et quid hoc aliud eſt quam negare palàm quod homo Chriſtus ſit in forma Dei, adeoq; Deus verus? Simul profert contra nos prophetiam neſcio quam Lutheri, qui inter alia verba ſic contra nos ſcriptum reliquerit, Credo & ego quod in receſſu & latebris cordium veſtrorum nihil quicquá nec de Deo, nec de potentia eius credatis. De qua re etiam certus ſum. Et ſi plurimum gloriátur, quod hunc articulum de perſona Chri

Non negamus dignitatem Chriſti.

ſti credant, & multa de hac re garriant, tamen nolui verbis eorũ fidẽ adhibere. Reuera enim omnia mentiuntur, quæcunq; de his rebus effutiunt, &c. Expendant penitius hanc aduerſarij noſtri accuſationem contra nos tanta acerbitate inſtitutam, quibus viſum eſt Brentium hunc ſuum librũ contra nos ſumma ſcripſiſſe modeſtia. Quid obſecro grauius, quid atrocius & horrendum magis, contra nos proferre potuiſſet, quam quod per Lutherum tanta audet confidentia affirmare, nos nihil de Deo credere, nos potentiam Dei floccifacere, nos maieſtatem domino noſtro Ieſu Chriſto detrahere? Sed gratias agimus domino Deo noſtro, cuius bonitate factũ eſt, vt lectores pij aliàs & ex hac noſtra Reſp. intellexerint, Brentiũ nos manifeſta afficere iniuria. Quid quod ipſe inter hęc furioſa verba palàm cogitur fateri nos nihil cũ ijs cõmune habere, qui diuinitatẽ Chriſti negãt, quales Ariani & Seruetani? Nihilominus tamen nos cum Arianis vtcũq; confert: & iterum, Nos quidem libenter, inquit, amplectimur, quod Zuingliani authoritate ſanctæ ſcripturæ, de æterna diuinitate filij Dei confitentur, & ſperamus eos Arianiſmum, & quicquid eſt id genus hæreſeon, ex animo deteſtari. Hęc ille. Quod ſi feriò hæc loquitur & de nobis ſentit, quo vultu, quo pudore

dore audet per Lutheri in mediũ contra nos prolata verba, planè ſtomachoſa & cęca, crimi nis inſimulare blaſphemiæ, quaſi leuiter aut nihil de Deo, de Dei potentia & diuinitate Chriſti ſentiamus? Ita ne decet miniſtros Chri ſti & eccleſiæ in eccleſia Dei agere?

Sæpius autem fefellit Lutherum aliàs, ſua non certa quidem ſcientia, ſed opinio affecta- ta. Falſus eſt & in præſentia, iudicio illo ſuo temerario. Eius enim rei certus eſſe non po- tuit, cuius nullam cognitionem certam ha- buit. Quis enim hominum eſt καρδιογνώστης? An Lutherus in animi noſtri proſpexit penetra- lia & ibi qualis ſit fides noſtra erga Deum & filium eius perſpexit? Breuiter tamen ſicut il- la quondam à rege Philippo ebrio prouoca- bat ad ſobrium: ita nos quoque in hac cauſ- ſa, prouocamus ab irato & furioſo Luthero, ad mentis ſobriæ placidumq;. Proferam ergo ex Poſtilla eius de vnione perſonali duarum in Chriſto naturarum iudicium, ex quo om- nes cognoſcát illum extra contentionem ſen- ſiſſe nobiſcum. Interim non diffiteor illum i- pſum in pugna, non vſquequaq; cum his ſuis prioribus congruentia ſcripſiſſe. Sed quid tũc ei tribuas, qui ſecum diſsidet ipſe?

Respons1o ad Lutheri uaticinium.

Ergo in Poſtilla ſua in epiſtol. feſti Natalis domini, quæ ad ſummá ſolet cantari Miſſam,

Lutheri doctrina de utraq; Chri ſti natura in una per ſona.

Hic tandem, inquit, Christum reuera agnosce re, & quis sit discere debemus, quæ nimirum vtriusq; in illo naturæ, diuinæ videlicet & humanæ, sit ratio: qua in re quam plurimi errant, & ferè ex ipsius verbis fabulas comminiscuntur & deblatarant, cum nimirum diuinæ naturæ tribuunt quæ solius humanitatis sunt, & scripturas tractando se excæcant. Hęc enim in Christi verbis præcipua cura, hoc primarium est studium, vt quænam diuinæ, quę rursus humanæ naturæ conueniant, inspiciamus. Sic enim fit vt omnia in his nobis clara & aperta sint. Illud ergo firma & constanti fide credendum est, Christum verum Deum esse & verum hominem. Et interdum quidem tam scriptura quam ipse Christus, tanquam purus homo loquitur, interdum verò tanquam purus Deus. Et post adducta aliquot scripturę testimonia, citat & hoc Marci 13. capite, De die illa nemo nouit, neque angeli, neque filius, sed solus pater. Quibus mox subijcit verbis, Humanitas Christi sicuti & alius aliquis sanctus & naturalis homo nō omni tēpore cogitauit, locutus est, voluit, animaduertit, sicut nonnulli ex ipso omnipotentē (obseruētur diligētius hęc verba) hominē faciūt, cōmiscētes imprudēter duas inter se naturas & naturarū opera. Sicut ille nō omni tēpore vidit oīa

audiuit

audiuit sensitq; omnia, ita etiá non omni tem pore corde suo omnia vidit. Et reliqua huius generis plurima, quæ in Luthero sequuntur. Quæ in hoc tantum adduxi, non vt omnia mea his imponam, sed vt ostendam, illum aliquando non repudiasse nostram de naturis in vna persona diuersis manentibus & non confusis doctrinam. Quod si nunc reijceret, affectione nimirum praua reijceret. At cognitum est vniuersis quantum sit tribuendũ affectibus & hominibus ex affectu loquentibus.

Gubernatio Christo non eripitur.

Iterum verò Martyrem atrociter reprehendit aduersarius, & ait, Et hic denuo audi non tolerandam vocem Martyris, Ad rerum omnium gubernationem, inquit, & conseruationem quid opus est humanitatis præsentia? His mox addit ille, Non incipis, optime lector, vel tandem intelligere, quo Zuinglianorum dogma euadat? Si enim excludunt præsentiam humanitatis Christi, à rerum omniũ gubernatione, certè excludũt eá etiam à diuinitate, &c. Atqui Martyr personá Christi non diuidit, ergo nec humanitatem à diuinitate separauit, cũ qua personali vnione connexa est indissolubiliter, sed distinguit inter proprietates quæ remanent saluæ in vnitate personę, ideoq; dixit humanitatẽ Christi nõ esse vbiq;. Proinde dominus noster Iesu Christus verus

Deus & homo, omnia nihilominus regit atq; conſeruat: ſicuti ſuperius eſt declaratum.

Omnipotentia non attributa humanitati Chriſti.

Hoc ipſum reſpondeo illi obijcienti mihi quod omnipotentiam deitati quidem Chriſti tribuerim, humanitati verò non tribuerim. Et adijcio his, præterea aduerſarium hanc ſuam accuſationem, eo iure quo me accuſat, & contra veterem orthodoxam eccleſiam inſtituere poſſe. Nam etiam ipſa diligentiſsime obſeruauit naturarum diuerſitatem, quam permiſcuit aut permutauit nunquam, quin vnicuique naturæ ſuam proprietatem operationemq; diſtinctam & retinuit & attribuit: deinde etiam per communicationem idiomatũ alteri tribuit quod proprium erat alterius.

Humanitas Chriſti ſupra & extra creaturas euecta.

In eodem argumēto longe ſemetipſum ſuperans acerbitate, tragicis clamoribus contra me tantum non inſanit. Scripſerat ille in ſententia ſua quam Tractationi verborum domini, In domo patris mei, &c. oppoſuit, Simul ac filius Dei in vtero matris hominem in vnam aſſumpſit perſoná, mox eum ſecum ſupra cœlum & terram imò ſupra & extra omnes creaturas euexit. His ego in mea Reſponſione oppoſui, Si vera eſſet hæc Brentij doctrina quod Chriſti humanitas extra & ſupra omnes creaturas eſſet euecta, deſijſſet vtiq; eſſe creatura. Si autem creatura eſſe deſijſſet, quomodo poſtea

ſtea pro nobis & pati & mori potuiſſet. Hæc nunc libro illo ſuo maieſtuoſo ita excipit, Hic nunc omnes pios & in vera doctrina Chriſti eruditos, appello, an hoc non ſit palàm, clarè, manifeſtè, diſertè & perſpicuè (Et quid habet ille præterea? Annòn etiam notorie?) negare Chriſtum euectũ eſſe ſupra omnes creaturas, adeoq; negare ipſum verũ eſſe Deũ? Quibus adijcit, Vel hic vnus & ſolus locus admonere nos deberet, vt cognoſceremus quanta abſurditatis lerna in Zuingliano dogmate lateret, & quam contento curſu fugiendum eſſet.

Cónfido aũt ego pios lectores probe intellecturos aduerſariũ calumnijs mea peruertere, ideoq; illá ipſius vociferationẽ tragicá, ipſi potius quàm mihi ignominioſam fore. Non nego neq; negaui vnquá, Chriſtũ exaltatum eſſe ſuper omnem, prout Paulus ſentit, creaturam, & quod ſit Deus verus: nego autem quod de ſuo ſubinde aſſuit aduerſarius aſſumptam videlicet in incarnatione humaná Chriſti naturam ita eſſe exaltatam, vt extra omnes elata creaturas iam infinita & vbiquaria ſit facta. Humanitas enim Chriſti in vnione illa admirabili cum diuinitate in ſua natura, veritateq́ue permanſit & in diuinitatem non eſt permutata. Manet denique Chriſtus iuxta naturam humanam etiam à clarificatione ac in ipſo cœlo reſidens creatura; qui ſecundum

Chriſtus ſecundum humanam naturam creatura eſt.

diuinitatem non eſt creatura,ſed creator. Et cum maneat creatura, pro ingenio humanæ naturæ, pati & mori pro nobis potuit: quod minime potuiſſet, ſi extra & ſupra omnem creaturam fuiſſet elatus. Neque enim aliter hanc loquutionem etiamnum intelligere poſſum, quam humanitatem eius, quæ ſupra & extra omnes creaturas elata eſt, inter creaturas non amplius deputari. Cæterum ne vlla hic ambiguitas aut obſcuritas quenquam obturbet, ab aduerſario petimus, vt ingenue nobis dicat, Chriſtus ne iuxta humanam naturam creatura ſit, an creatura non ſit? Si non eſt amplius creatura, ſed creator tantum, vna certè reſtabit duntaxat in Chriſto natura diuina videlicet. At quomodo dices in hac ipſum pro nobis paſſum eſſe & mortuum? Vbi denique præcipuum illud fidei noſtræ verę caput, Chriſtum retinere in vna perſona indiuiſa, diſtinctas naturas duas. Eutychianorum hoc erat quondam dogma, vnam in Chriſto duntaxat eſſe naturam & Chriſtum eſſe Deum tantum in ſua maieſtate & gloria. At aberrarunt hac ſua doctrina, ideoque ab orthodoxa vetuſtate exploſi ſunt. Si verò Chriſtus iuxta humanam naturam eſt & manet creatura, ſaltem iuxta vulgare iſtud, Hominem quem aſſumpſit non amiſit, cernunt pij omnes quam

inique

inique contra me ita debacchetur Brentius. Nō aliud certe iudicare possum, quam ipsum opinione sua longe superare ipsum etiam Suenckfeldium. Diu multumque hic contendit Christum in gloria non esse creaturam: contra quem eleganter & euidenter scripsit vir clarissimus D. Ioachimus Vadianus Doctor & celebris reipub. Sangallen. Cos. Brentius verò altius multò euectus, contendit humanitatem Christi, etiam in vtero matris extra & supra omnem creaturam esse euectam. Additque his insuper humanitatem Christi in vtero quidem matris, simul etiam superius in cœlo fuisse præsentem. Contra hæc autem noua dogmata vniuersa vetustas concorditer & vere ex fide orthodoxa & scriptura sancta docuit, Christi corpus veram in vtero matris factam esse creaturam, atque in ipso cœlo atque gloria patris esse & manere creaturam: cum interim idem ille Christus pro ingenio diuinitatis nō sit creatura sed creator. Si quis autem hac de re ambigit, legat S. Hieronym. in 2. cap. ad Ephes. in verba Apostoli, Ipsius sumus creatura, legat item Cyrillum ad Successum, cuius verba superius recitauimus: itē in Ioan. lib. 2. cap. 144. Possem huius generis & alia proferre plurima nisi hæc sufficerent.

Superat Brentius Schuenckfeldium.

Restat hoc quoq; diluendū breuibus, quod nobis objicit aduersarius, Produ͂t Zuingliani,

Dicimur habere amarum cor erga prædicationem maiestatis Christi.

ait,animi ſui amarulentiá erga prędicationem maieſtatisChriſti,qua vident(ſi modo vidēt) phantaſmata ſua, ita explodi, vt etiamſi aliquandiu poteſtate tenebrarū apud imperitos homines obtinere videantur, tamen neceſſe habeant,vel tādem euaneſcere,&c. Cæterum vt certi ſumus hāc noſtrá doctriná, hac de re, certam & orthodoxam, adde & catholicá eſſe doctrinam, & ideo nihil minus quàm phantaſma humanū, inuictamq; in eccleſia triumphaturam,Brentiano dogmate deuicto atq; deleto:ita domino Deo noſtro gratias agimus,qui ita corda noſtra inſtruxit,vt vnica ſpes noſtra Chriſtus ſit, eundēq; adoremus in ſua gloria & maieſtate. Ac diſtinguimus in præſenti inter veram maieſtatē Chriſti, habentē illuſtria in literis ſacris & libris veterū teſtimonia,quę meritò apud nos maximo eſt in precio, & inter eam quam Brentius de ſuo fingere, detortiſq; ſcripturis, & ſua opinione infectá, nobis obtrudere contendit: quam ſi tanti non facimus,quanti ille cuperet,non nobis,ſed ſibijpſi imputet, qui reſpuenda pijs proponit.

Titulus libri Brentiani.

Non ſine ſingulari verſutia ac faſtu librum ſuúm ille inſcripſit, De maieſtate domini noſtri Ieſu Chriſti ad dexterá Dei patris, &c. Obſecro aūt ne ſuccenſeant mihi viri boni, ſi libere hic quod ſentio dicam. Certè ſi inſcriptio

cuili-

cuilibet libro iuxta Plinij Neocom. ſentētiam imponenda eſt, pro ratione argumenti, quod libro tractatur, non abs re videri queat huiuſmodi dandus eſſe Brentiano libro titulus, LIBER PERPLEXORVM de corpore Chriſti, vero quidē ſed infinito, in cœlo, non in cœlo, ad dexteram patris ſedente, nō ſedente, ſed vbique diffuſo & præſente iuxta modū quem oculus nō vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis aſcendit. Conatus eſt aūt ſpecioſo illo ſuo titulo, ſibi omniū maximá comparare gratiá, & in nos odiū deriuare inexpiabile: quaſi verò nos ſimus Mezentij quidam, impij iniquam blaſphemiq; homines & ſacrilegi maieſtatis Domini noſtri Ieſu Chriſti hoſtes, contra quos mature Brentius ille maieſtatē Chriſti aſſerere defendereq; cogatur. At obſecramus pios omnes ne huiuſmodi artibus aduerſarij ſinant ſe contra nos exaſperari. Prędicamus enim & nos Chriſti domini & ſeruatoris noſtri vnici maieſtatē diuiná, ita tamē ne interim veritatē naturę humanę aut abnegemus aut annihilemus, ſed naturá vtráq; Chriſti in vna inſeparabili perſona diſtinctá, omnium piorum animis orthodoxe inſeramus. Sicut enim intolerandam eſſe blaſphemiam rectè iudicarent omnes, ſi negaretur vera Chriſti diuina maieſtas, ita non leuius foret ſacrilegium, ſi humanitas Chriſti in veri-

tate non agnoſceretur atque ingenue confitę
retur. In veritate autem confitentur pij huma
nitatem vel carnem Chriſti, ſi ſimpliciter cre-
dant & doceant, prout ſcripturis ſanctis & re
gula fidei Chriſtianæ traditum eſt, Chriſtum
carnem ſuam aſſumpſiſſe ex noſtri corporis
ſubſtantia, in & ex vtero intemeratæ virginis
Mariæ, & quod per omnia ſimilis nobis ſit fa
ctus, excepto peccato: & quod hæc caro inte-
gra in ſua ſubſtantia, vnita ſit cum diuina na-
tura, à qua non ſeparetur vnquam ſed in ſua
proprietate perpetuo cũ hac cohæreat: ſicuti
& diuinitas immutata ꝑmanet. Ita verò & reti
nemus & cõfitemur vnũ Dominũ & ſeruato-
rem Ieſum Chriſtum verum Deũ & hominẽ.

Concluſio. Et iſta quidem eſt vera & Chriſtiana fides, contra quam nihil vnquam docuimus. Re-
ſpondimus autem aduerſario hucuſque qua
potuimus breuitate: reſponſionem verò hanc
ipſam ſponte offerimus ſubijcimuſq́; eccleſię
Chriſtianę iudicio, quo ex diuina veritate pro
nunciare ſolet. Gratias autem ago Deo meo,
qui ſua mihi gratia affuit, vt illam ad felicem
potuerim perducere finẽ. Eũ ex animo oro,
vt omnibus ſimplicẽ ſuá veritatẽ aperiat, erro-
res omnes eliminet, omnibuſq́; nobis clemẽs
ſit & propitius, per Ieſum Chriſtum domi-
num noſtrum, Amen.

SECVNDÆ

SECVNDAE HVIVS PARTIS

CAPVT QVARTVM.

De Sacra domini nostri Iesu Christi Cœna.

Zuinglianos doctrina sua de Cœna Domini nihil dißimulasse neque astu ueteratorio usos ad imponendum simplicibus.



VARTA & vltima pars Responsionis meæ continet breuem sacræ domini Cœnæ tractationem, quippe ob quam vnam reliquę disputationes omnes de cœlo, de dextera pātris, deque vnione personali exortæ sunt. Cum autem hanc partem aduersarius non oppugnarit, de ipsa pluribus non agam, satis certus illam veritati impositam inuictæ, nunquam à quoquam fore deijciendam. Excurrit alioqui hæc mea responsio longius, quàm instituetam ab initio. Leui ergo tantum manu perstringam quædam accusationis in hac re aduersarij capita.

Nihil nos in causa Cenæ domini dissimulasse, sed bona fide egisse

Magna acerbitate redundante cum stomacho & iurgijs multis auspicatur ille librum suum, criminaturque doctrinam nostram de cœna, insimulans ipsam erroris atque falsitatis. Quod cum dixit quidem, non autem probauit, nihil de eo sum solicitus. Insimulat nos item nescio cuius astus veteratorij, quo simplicioribus imponere simus conati. Ait dissimulasse nos in causa cœnæ hucusque plurima, doctrinamque nostram falsam, honestis pinxisse verbis, quasi in cœna non nuda duntaxat habeamus signa, sed ipsum quoque corpus Christi: nunc autem erupisse nos tandem, ac palàm dixisse, Corpus Christi tantum abesse à cœna eius, quátum distat supremum cœlum à terra. Qua sententia ita nos detexerimus, vt post hac à nobis nullum amplius sit timendum periculum, ne vel fideles seducamus vel simplicioribus imponamus.

Cæterum his prodit ille ergo nos singularem animi acerbitatem largeque linguæ suæ venena fundit. Errat ille errat, si existimat vnquam nos in causa cœnæ dissimulasse quicquam. Semper enim constanter & clare oppugnauimus corporalem carnalemque corporis Christi in cœna præsentiam & & manducationem: salutarem interim Christi præsentiam & manducationem non negauimus

uimus vnquam. Nunquam ergo insimulari nos vllius in hac causa dissimulationis sustinuimus: & cum non semel petitum sit à nobis, obscuriores & ancipites aliquot loquendi formas admitteremus, nunquam tamen admittendas esse duximus: nunquam ergo fucũ facere, nunquam aliter quàm sentimus, loqui voluimus: adeo vt ipse nos Lutherus aliquando appellarit Suermeros ingenuos & synceriores, qui nec duabus sedeamus sellis, neque ex eodem ore frigidum efflemus & calidum, neque obscurum aliquid palato immurmurantes incerta proferre soleamus. Potest autem hic quoque testimonium nobis ferre mea Responsio, in qua, parte illa postrema breuissime absque fuco & dolo malo declaraui quo modo nobis in Cœna nostra, quæ Domini cœna est, nobis non sint inania signa, vbi denique simpliciter & absque verborum ambagibus, & absque omni impostura exposuimus quid in vniuersum de cœna sentiamus.

Errat autem errat ille toto cœlo si existimat præterito demum anno nobis primum excidisse hanc sententiam, Cum corpus Christi, vt fert humani corporis natura & modus, finitum sit, & cœlo vt loco cõtineatur, necesse est sanè à nobis tanto locorum interuallo distare quantum cœlum abest à terra. Sæpè hæc ille

nostra recitat & repetit, haud dubiè vt multorum in nos odia conduplicet atq; confirmet. Sed male ille ab ijs, quales quales sint, institutus est, qui illud ipsi persuaserunt. Non enim nunc demum illa nobis excidit sententia sed ante plures annos consulto nostræ Consensioni est inserta. Simul tamen & perpetuò inculcauimus & vrgemus adhuc, Cœnam nostram quam secundum institutionem Christi celebramus, non esse sine Christo, neque esse sine alimento viuifico corporis & sanguinis domini. Virtutem fidei efficere vt res quæ locorum distantia procul à nobis sunt dissitæ, suo modo animæ fiant præsentes. Nam distantiam locorum non impedire, quo minus Christus coniungatur nobiscum, vt ipse sit in nobis & nos in ipso, omniumq; salutarium donorum fiamus participes in ipso, per spiritus sancti efficaciam, qui nos illuminat atque viuificat. De quo aliàs abunde satis dictum est.

Cœna non sine Christo & alimento uiuifico.

CLAVDIT aduersarius disputationem suam, & ait, Non dubito ad tribunal domini nostri Iesu Christi, de cuius maiestate agitur, prouocare. Videat igitur dominus & iudicet inter nos & aduersarios, vt & tot offendicula tollantur è medio, & discant tandem homines πληροφορίαν, ne quouis doctrinæ vento circumferantur. Atqui nos ipsi quoq; non alium iudicem

Conclusio libri.

cem hac in causa libentius, id quod coram vniuersa Christi ecclesia testamur, deligimus atque recipimus quam ipsum Iesum Christum dominum nostrum, cuius maiestatem quidē reueremur & adoramus, sed interim & eius carnem veram sedentem ad dexteram patris confitemur asserimus & quam significanter possumus vniuersis denunciamus, ad gloriam eius, & ad fidelium consolationem eximiam.

Obsecramus autem ex animo dominum, vt doctrinam synceram ac fidem veram in periculosis hisce temporibus nostris extremis, clementer & potenter conseruare, infirmos in fide confirmare, animis afflictos consolari, offensiones perniciosas amoliri, nobisque seruis suis, & omnibus ecclesiæ Dei fidis pastoribus gratiam sapientiam facultatesq; concedere dignetur, quo creditum sibi gregem salubriter pascant, ei fideliter inuigilēt, & noxios ab ouili Christi lupos abarceant, laudeturque & honoretur in sempiternum Iesus Christus verus Deus & homo in sempiternum.

Ipsi sit gloria & laus in secula seculorum, Amen.

M. D. LXIII.